

Sum huius libri [illegible]
Josephus a Lucoffsky [illegible]

Deus [illegible]

[illegible]

Vide Domine [illegible]

[illegible]

Unum librum [illegible]
[illegible]

Esto memor patrys cum dic sis missus ab oij
Monibus ut redeas cultus, et arte domum

Esto memor patrys cum dic sis missus ab oij
Monibus ut redeas cultus et arte domum

Esto memor patrys cum dic sis missus ab oij
Monibus

Bibliotheca Collegii Juridici

Progymnasmatum ELOQUENTIÆ PARTES TRES.

Docetur ratio Oratoriè describendi

Parte primâ. { FABULAM, NARRATIONEM, APOPHTHEGMA, SENTENTIAM, CONFUTATIONEM, CONFIRMATIONEM

Parte secundâ. { LOCUM COMMUNEM, LAUDATIONEM, VITUPERATIONEM.

Parte tertiâ. { COMPARATIONEM, ETHOPOEIAN, THESIN, DESCRIPTIONEM, LEGISLATIONEM, AMPLIFICATIONEM.

Ad Aphthonium Sophistam observabat in Illustri Stetinensium Pædagogio: nunc bono, si quod inde futurum est, publico edi voluit

M. Jacobi Protrowichy


M. ANTONIUS BURCHARDUS
Lubecensis L. L. Prof.

PLÆRAQ; AD RHETORUM FONTES, & COMMUNEM Eloquentiæ exercendæ usum commodius & magis appositè deducta.

Annexa est sylvula exercitiorum pleniusculè descriptorum, vel Dispositionum ut vocant, ad (140)

Editio Tertia.

STETINI Typis Kelnerianis, Impensis Johannis Echornij,
ANNO CHRISTI M. DC. XII.







VIRI
Magnifici, Strenui, Nobilissimi,
HENRICI RAMELII,
Eq. Pomerani: & Regij in Aulâ Danicâ
CANCELLARII:
Domini VVustervitiæ, Bekeschoviæ, Costervitiæ, & Osboviæ &c.
Filio præclarissimæ spei
GERHARDO RAMELIO,
discipulo suo charissimo S.



UM Aphthonij Progymnasmata publicè interpretarer, duo imprimis mihi curanda & facienda judicavi: Primùm, ut, ex quibus Rhetorum fontibus ea fluxissent, ostenderem: iterum, quâ viâ in magnum illud Eloquentiæ mare decurrerent, diligenter indicarem: Sive, Quæ istorum exercitiorum origo, quis item ex istis ad Eloquentiam progressus & profectus esset. Itaq; illud studiosè egi in singulis his exercitijs, ut quis horum in Rhetoricis locus esset & ratio docerem: tum monerem, quomodo ex istorum tractatione aliqua dicendi facultas comparari posset.

Ut Origo & natura horum progymnasmatum rectè perciperetur, necessarium videbatur, quia difficilior omninò & inutilior de his construendis præceptio esset, nisi præmoneatur Auditor, quid illud & cujus generis sit de quo construendo præcipimus. Ut rem exemplo perspicuam faciam. De fabulâ non poteram commodè monere quomodo hæc oratione exponenda sit, nisi præmisissem ex Rhetorum pręceptis, quo loco habeant fabulam; quorsum utantur; vel, quale instrumentum Oratorium sit fabula; Sive de Origine & naturâ fabularum. Ubi monui: Fabulam Exem-

plum esse, & fictum quidem: sive instrumentũ probandi per res quasdam singulares fictas. Itaq; & Narrationem & Gnomen habere: tum certas partes quasdam, unde Gnome hæc abstrahatur, aut concludatur vi Consequentię vel Syllogismi. His rectè expositis, facilis intelligentiæ sunt reliqua de tractatione; de exponendis singulis fabulę partibus; & quæ ac quot illæ; & quomodo inde abstrahenda Gnome. Quæ tamen commodè tradi aut præcipi sine istis præmissis quomodo possint ego non video. Unde & APHTHONIVS ipse solet breves quasdam singulorum Progymnasmatum definitiones apponere. Hæc igitur causa erat, cur in natura sive in definitione cujusque Progymnasmatis declaranda fuerim multus, & alicubi etiam fortè justo prolixior.

In Tractatione autem Progymnasmatum, vel ratione ea scribendi jta versatus sum, ut præcipuè docerem Auditores meos facultatem copiosè dicendi. Cum Cicero affirmet, Eloquentiam nihil esse aliud, quàm copiosè loquentem Sapientiam, Sapientiam quidem, propter necessariam in Oratore variarum rerum cognitionem: Cui si adjuncta sit facultas quædam sententiam mentis rectè conceptam oratione copiosà exornandi: Si cui hæc adsint, eidem etiam Eloquentis titulum rectè tribui judicat Cicero. Igitur in Eloquentiæ studio præcipuè laborandum erit circa Orationis copiam, imprimis discenti. Copiam autem dico, non tam verborum, (quanquam etiam in hac non minimum ad Eloquentiam momentum situm est) sed rerum, & sententiarum, & rationum probandi. Quamvis enim etiam hic facilè peccetur, si nimis luxuriet Oratio, & garrulitatem quandam redoleat: tamen nisi nimis negligenti & remisso vix hoc vitij videtur accidere; & facilius luxuriei isti, quàm orationis tenuitati atq; inopiæ consuli posse. Unde ne repræhendendam quidem in adolescentibus eam luxuriem senserunt Artifices Clarissimi.

Si qui enim dilatandæ orationis facultate præditi excogitaverint aliquid fortè nimis circumfluens & redundans, sine aliquâ difficultate, saltem mediocri diligentiâ adhibitâ poterunt recidi superflua; eligi ad rem præsentem maximè idonea; cum, qui orationis inopiâ laborant, si quid tenue atq; exangue sudarint, & magnâ vi vix expresserint, animare illud, vel explere sensum orationis jejunum sine hac copiosæ orationis facultate non possint.

Quare ea mihi præcipua cura & sollicitudo erat, ut in singulis Progymnasmatis vel exercitijs his discerent mei Auditores rerum quandam

in iſtis proponendis excogitare multitudinem & copiam, quibus & quaſi flueret oratio, & auditoris animum vi quorſum vellet abriperet: ex quâ item multitudine poſtea delectus fieri poſſet eorum, quæ maximè ad rem præſentem declarandam vel probandam, ad commendandam Oratoris elegantiam & facultatem, ad alia ſimilia efficienda eſſent apta atq; accommodata.

Ad eam rerum copiam in oratione conſequendam utiliſſimum omnium, imò unicum ferè medium eſt Diviſio, id quod alibi docebo: Itaq; id ſollicitus fui, ut docerem modum diſtribuendi quodlibet Progymnaſma, vel datam exercendi materiam in partes quaſq; minutiſſimas, has item partes in orationem inſerendi: Ut vix quicquam excogitari circa materiam eandem poſſit, quin exercitatus in his noſtris præceptis (ſi in rerum cognitione non ſit rudis, abs quâ omnis organicarum diſciplinarum, Oratorum, & Logicorum inſtitutio puerilis & ſterilis eſt) in idem meditatione incidat: & ſic in plæriſq; non quanta declamatiunculæ, ſed quanta, vel volumini ſcribendo ſuffecerit, tantam dicendi materiam vel rerum copiam convehere poſſit. Atq; hæc quidem nobis in votis. Num verò aſſecuti ſimus, tempus indicabit: ὁ χρόνος γὰρ τοιούτων εὑρετὴς καὶ συνεργὸς ἀγαθὸς δόξειε εἶναι. 1. Ethic. c. 7.

Interim ſi quis hic aliud atq; aliud non rectè habere ſe animadverterit, cogitet quæſo, exercitia nos tradidiſſe non artem. In hâc illa perfectio deſiderari poterit & rectè: In illis ſufficiet, ſi ſic tradantur, ut aliquis præclarus ad artem ipſam profectus & progreſſus inde ſentiri poſſit.

Nunc verò quæ hic obſervaveram, publicè exire volui. Audacius fortaſſis, quàm pro opellæ hujus affectæ non perfectæ culturâ; quàm pro meo ingenio; quàm pro verecundiâ. Sed primò juventuti noſtræ videbar mihi non ingratam hanc operam collocaturus: cum inter dictandum non diſplicuiſſent, quæ tamen aliquam partem non ſat rectè, ut fit, perceperunt: Aliquam partem etiam ipſe mutanda, aut ulterius declaranda cenſui. Deinde ſperarim, ſi quis alius uti voluerit, ita perſpicuè ac diligenter (quantum iſto compendio fieri potuit) plęraq; à nobis tradita eſſe, ut nonnullum inde fructum percepturus ſit. Quod ut opto, ita juvare hâc opuſculi publicatione volui. Demum tui, & imprimis quidem, Gerharde chariſſime, habita eſt à me in hac editione ratio. Meminiſti non ſemel Te petiiſſe, ut ederem progymnaſmata. Magis quidem pro pio erga me affectu, quàm quod certis cauſis ea voluntas tua niteretur: Nonnihil tamen peti-

tio tua me movit: Perpulerunt verò causæ non minimi apud me ponderis. Principiò quidem, quod Tu & delectareris hisce exercitijs scribendis, & commodo tuo insigni ijsdem uti posses. Etsi enim circa stylum & sermonem Latinum exercendum etiamnunc hæres: tamen illo tuo conamine quasi altius assurgendi, cum & dispositionibus datis, & privatâ instructione à me juvareris, videbaris non mediocriter delectari. Itaq; vel fovere eam tuam alacritatem, vel etiam augere quodam quasi honore publicæ editionis his exercitijs habito, volui.

Utilitas autem, quam hinc ad studia tua redundare posse existimo, hujusmodi ferè est. In præsentiâ quidem, potissimùm stylo & facultati sermonis Latini comparandæ utilia & sat commoda fuerunt hæc exercitia, & porro esse poterunt. Quam enim Oratori consulunt Artifices ad Orationis copiam atq; apparatum necessariam esse, exercitiorum varietatem; ut nunc scribat, iterum extemporaneo utatur dicendi genere; nunc à Latino in Græcum aliquid transfundat, iterum Oratione Latinâ cum aliquo Græci Scriptoris loco contendat: Eandem censeo magno commodo ab adolescente in Latino sermone exercendo exigi; ut quotidie & è Latinâ in maternam, & ex maternâ in Latinam aliquid vertat: iterum sensa animi de rebus, quibus quotidie in conversatione usus est, verbis Latinis & aptis efferat: aliquando etiam commentetur, meditetur ac scribat aliquid, & sic incipiat ingenium quasi exerere, sententiam suam dicere de datâ aliquâ materiâ è vitâ communi, & illam apto sermone proferre. Sic igitur ad quotidiana nostra styli vertendi exercitia, tum colloquia & sermones Latinos, quos à vobis exigo, commodè videbantur mihi adjungi posse hæc progymnasmata vel initia Eloquentiæ; in quibus & excogitando ingenium acueretur, & sententijs proferendis excoleretur stylus Latinus. Atq; hunc quidem in præsenti ex his exercitijs percipere poteris fructum.

Reliquâ autem adolescentiæ ætate, quando severioribus quasi studijs adhibendus erit, sentio hanc nostram operam plurimo tibi usui fore. Atq; ut rem altius repetam: ad duo tibi omni studio contendendum est, quasi omnis excellentiæ humanæ fastigia, Scientiam, & Eloquentiam. In his alios antecellere, omnium maximè expetunt atq; exoptant quicquid est hominum intelligentium. Reliquorum autem in vitâ humanâ bonorum, honoris dico, gratiæ, opum ac divitiarum, & siquid istis simile est: harum, inquam, rerum affluentiam nemo ambit ultra necessitatem & usum mediocrem, nisi cupiditate temerariâ: tum eam horum bonorum copi-

am,

am, quanta satis est, ultrò comitari videris, quasi quendam magnetem suum, omnem elegantiorem ac solidam eruditionem. Scientiam autem intelligo rerum politicarum inprimis, (quippe cum olim sis in Rep. versaturus) quam nosti secundum ἀκρίβειαν Aristotelicorum Prudentiam propriè appellari. Huic adjunxi Eloquentiam, jtem Politico vel viro prudenti necessariam, non jtem Philosopho secundum Ciceronem.

Sed hæc fastigia sunt, quemadmodum dicebamus, & summus quasi apex eruditionis ac splendor: quæ tamen ut dextrè extruantur, ne facile vitium aliquod faciant, aut per se corruant & ruinam aliquam Reip. secum trahant, aut fortunæ vel melioris vel adversæ tempestatibus sufferendis imparia sint: fundamentum probè jactum oportet à pietate & moribus honestis primâ institutione ingeneratis. Hic nunc studiorum scopus, hæc tibi meta est, ut & rectè sentias, & quæ prudenter senseris, quàm aptissimè atq; ornatissimè eloqui valeas: sive ut & rerum Politicarum cognitionem vel Prudentiam addiscas, tum facundiam & eloquendi facultatem acquiras, & in eo studio non inter infimos adhærescas aut acquiescas, sed quantum ingenio, ætate, discendi occasione fieri potest, cum primis contendas. Et de institutione quidem in pietate & moribus facio sedulò, ne quid facilè hîc possit desiderari: idq; eò magis, quod putem, nisi hæc prima fundamenta rectè structa sint, frustra & temerè in reliquis operam collocari. Ad prudentiam & rerum cognitionem autem duę hæ sunt quasi viæ, lectio & experientia. Experientia ex conversatione cum doctis, & ex peregrinationibus capitur: si ad has à lectione probè instructus accedas. Legi autem oportet tum universalia Philosophorum, Politicorum, jtem Oratorum & Poëtarum observata: & ex his diligenter sententias & præcepta politica annotare, memoriâ complecti, in usum tuum convertere; tum Historicorum monumenta, quæ quasi seminarium sunt Politices; cum ex istis viri sapientes, longâ præterea adjuti Experientiâ, sua de Politiâ præcepta collegerint. Etenim de rebus planè ijsdem tractant politica, & historia: de actionibus & consilijs secundum virtutem & rectam rationem instituendis, de Reip. constitutione, de belli pacisq; artibus, de legibus ferendis, Magistratu legendo, & similibus quæ ad Reip. salutem, & singulorum incolumitatem pertinent. Sed historia Exempla aliorum hominum, aliarumq; ætatum ob oculos statuit, quæ imitemur: Politica universales saltem ab istis exemplis abstractas regulas & sententias proponit. Sic igitur historica scientia clariùs ista docet, cum singularium exemplo-

rum cognitio ſenſibus vicinior cujuslibet captui atq; intelligentiẹ accommodatior ſit. Sed tamen acutius in his exemplis cernere, & accuratius ea judicare poterit, qui illo univerſalis Politicæ cognitionis quaſi oculo, prẹditus fuerit: cum aliàs temerè ea exempla judicanti in alias atq; alias partes flecti poſſint. Quanquam autem hæc Lectio, vel ſtudium hoc Politices & hiſtoriæ, majoris operæ eſt, quam pro tuâ ætate: quadam tamen etiam ad hanc introductione quaſi primo colore, rectè imbui & formari animus tener poſſe mihi videbatur. Unde virtutum & vitiorum nomina, & deſcriptiones jam dudum addidiciſti, & alia initia: tum quæ ſunt in hiſtorijs generalia, temporum diſtinctiones, nomina & ætates Regum Iſraelitico-rum: partitiones Monarchiarum, tum nomina & vitas Imperatorum, & quo quiſq; tempore vixerit, hẹc & Latino ſermone complecteris, & è memoria repetere aſueſceris. Et hactenus ad rerum cognitionem & prudentiam quandam Politicam comparandam annitimur. In quo ſtudio cum judicij acrimonia plurimùm adjuvet: & hæc è Logicis & Rhetoricis excitetur: didiciſti & ex his diſciplinis, quæ per ætatem & iſto anni ſpacio inter alias principaliores tuas occupationes diſcere poteras: ut & Syllogiſmum poſſis in propoſitiones & terminos reſolvere: & datis terminis abſq; negocio Syllogiſmum componere: & ſine longâ temporis morâ Syllogiſmi figuram, ut vocant, agnoſcere: & nunquid vitij habeat ſitus terminorum aut quantitas vel qualitas vel forma ſyllogiſmi dijudicare: tum ſi de materiâ notâ factus ſit contra te Syllogiſmus, ſolvere, mọnſtrare vitium, falſitatem alterius propoſitionis, dare inſtantiam. Item ex Rhetoricis quibuſdam Locis, didiciſti modum excogitandi rationes probandi: quas poſſum verè affirmare vidiſſe me cum de uno themate hora non integrâ quadraginta amplius effingeres unà cum ſuis proſyllogiſmis.

Ut veniam ad Eloquentiam, alterum ut appellabam faſtigium, ad hanc duabus quaſi ſcalis, præceptis & exercitatione aſcenditur. Exercitatione ſanè opus erit, quia ποιητικὴ facultas eſt eloquentia, & in opere faciendo, ſive oratione fingenda occupatur. Quæ autem facultates opus producunt, non poſſunt niſi opere illo exercendo addiſci: ſic fidibus canere nemo diſcet, niſi fidibus ſæpius pulſatis. Ità nec Orationes quiſquam valebit ſcribere aut dicere, niſi Orationibus ſcribendis ſe antè exercuerit. Præceptis autem opus eſt, quibus præſcribatur modus, & quid oporteat Eloquentiæ ſtudioſum operis conficere & quomodo: ut ſic exercitium dirigatur, ne in exercendo aberremus, quod accidere poteſt exercentibus. Ha-

rum ad Eloquentiam viarum aditus primus ſunt progymnaſmata. Quippe quibus præcepta traduntur de certis Eloquentiæ partibus: & adjuncta eſt materies ſatis copioſa exercendi. Intelligo autem non hæc tantum ſex quæ noviſti ex Aphthonio à me declarata. Quæ nunc pro tempore fuerũt properanda: olim autem ſi maturandi ea & perficiendi tempus dabitur, his adijciemus. Hæc igitur Progymnaſmata velim tibi eſſe commendatiſſima. In his enim probè diuq; exercitatus faciles deinceps in reliquis Eloquentiæ ſtudijs progreſſus feceris. Quod enim meminiſſe potes me aliàs tibi reſpondere, cum ex me quæreres, quod genus declamationum eſſent Progymnaſmata, cum non invenirentur ejus generis Orationes in Cicerone, Fabulæ ſcilicet, aut Narrationes aut Sententiæ, aut Apophthegmata &c. reſpondi inquam: Eſſe hæc Progymnaſmata, quaſi Alphabetum Eloquentiæ. Ut enim qui manum elegantiorem exercendo ſibi parant, primò Alphabetum ſive literas ſingulas aſſueſcunt eleganti picturâ exprimere: Cui rei aſſuefacti, jam exiguo negocio, etiam ſyllabas, voces, & omninò compoſitam orationem integram decorà literarum formâ poterunt exhibere: Ita Orationis Politicæ elementa ſunt & quaſi literæ aliquæ ſingulæ Progymnaſmata, & in his ſcribendis antè diligenter exerceri oportet, quàm ad orationis ſeriæ ſcriptionem accedas. In illis verò exercitato, facilis erit & expedita ratio orationes ſerias elaborandi. Iterum quemadmodum non ex unâ aut literâ, ſed plurimis, & variè quidem inter ſe confuſis, Syllabæ & voces componuntur: Ita etiam Oratoria declamatio ex progymnaſmatis quidem iſtis conſtruitur ſed non unius generis, verum ſunt in Oratione eadem & miſcentur, Narrationes, Apophthegmata, Sẽtentiæ, Confutationes, Confirmationes, Laudationes, vituperationes &c. Atq; horum miſcendorum ratio ex Rhetorum juſtis operibus diſcenda eſt: & facilè addiſci poterit, ſi in ſingulis his exercitijs concinnandis quisquam paululum verſatus fuerit.

Et hæc hactenus quidem de utilitate, quam ex his exercitijs noſtris poſſe ad ſtudia tua redundare cenſeo, & quare edi ea volui, ut eum in finem diu uti poſſes. Ubi non invitus ſanè (niſi quod longius feci ac videtur pati ipſius opuſculi tenuitas) ad rationes ſtudiorum tuorum quodammodo reddendas digreſſus ſum: ut cum Magnifico Domino Parenti eas dudum debeamus, reddere autem hactenus ferè ſemper peregrè abſenti non potuerimus, ſi hæ chartæ noſtræ in Magnific. ipſius manus inciderint, ſaltem hinc cognoſcat.

Supereſt, GERHARDE chariſſime, ut pluribus te officij admoneam, quanto ſtudio, quantoq́; proficiendi ardore, bonas literas & hanc diſcendi occaſionem te amplecti deceat, tum proponam ob oculos Exemplum Parentis præclariſſimum. Verum neq́; hoc potero ita paucis: & illud aliàs commodiùs faciam.

Jgitur vale: & Magnifici Domini Parentis voluntati ac votis, noſtro Præceptorum tui juvandi ſtudio, omnium de te præclariſſimæ expectationi: noſtri amore & in ſtudijs diligentiá ac ſedulitate reſpondeto. Stetini in Muſæo Anno 1606. Cal. Decembribus.

Tui Amant.

M. Antonius Burchardus
Lubecenſis.



INDEX.

Prolegomena.

Progymnaſma primum.

FABULA.

APPENDIX.

Progymnaſma ſecundum.

NARRATIO.

Progymnasma Tertium & Quartum.

Χρεία & Gnome.

Progymnasma Quintum & Sextum.

CONFIRMATIO & CONFVTATIO.

Exor-

INDEX EXERCITIORVM.

FABULÆ.

Alij

NARRATIONES.

APOPHTHEGMATA & SENTENTIÆ.

Sententiæ septem Sapientum.

Diffu-

CONFUTATIONES & CONFIRMATIONES.





In Progymnasmata

APHTHONIANA,

M. Antonij Burchardi.

Marte vel Arte valet nemo, nisi prima vel Artis
Vel Martis tentet præludia: nemo canoris
Tempora laureolis redimit, nisi præmia honoris
Magnâ vi sudoris emat. Victoria pugnis
Venditur. Orator nunquam est, nisi gymnica primi
Rostra Tyrocinij rudior conscendat, & alta
Ad Suadæ serpat fastigia, sit licet infans,
Vel balbus, vel gerro etiam: modò sæpe loquendo
Bella sibi faciat, colluctetur q; disertis.
Rem probat APHTHONIUS, monstrans præludia (in arte,
Rem docet ANTONIUS, monstrans præludia in usu.
Merces quenq; manet sua, quæ simul ampla manebit
Omnes, qui studio indefesso signa secuti
APHTHONII, ANTONII fuerint: juxta Artis & usus
Cura sit, amplivagæ sic cedet laurea linguæ.

Daniel Cramerus D.

ALIUD.

Ἔθνεος, ὡς ἴδμεν, πάντῃ σφετερήιο ἀέθλους
Κλείουσιν μέλεσι κλειτοὶ Ἀχαιοὶ ἑοῖς.

Κεῖνοι δ', αἴκε τεῖν φίλον ἔοσεἶαι ἔνθα δαῆναι,
Ἤτοι ἔσαν, δίσκος, πὺξ, δρόμος, ἅλμα, πάλη.
Ὃς δ' ἄρα πευκαλίμησιν ἐκαίνυτο, ἦσι γηθήσας
Φρεσὶν, καρπαλίμως δέξατο ἆθλα καλά.
Λευσσομένῳ δ' αὐτοὶ τέρψιν φορέεσκον ἄεθλοι
Λαῷ, καὶ ἐς τρῆ χρήσιμοι εἰνὶ μάχῃ.
Ανδρῶν θ' ὁπλοτέρων ἤσκησαν σώματα ἁβρά,
Ἄρμενα θ' ἔρδεσκον δηιοτῆτι μάλα.
Αὐτὰρ ὅσῳ ψυχὴ τοῦ σώματος ἔπλετ' ἀμείνων,
Ἢ πέλεται λῷον τοῖο βροτοῖο μέρος.
Τόσσῳ αἱ ἀσκήσεις τῆς ψυχῆς ἀθανάτοιο
Κρείττονες, ἢ θνητοῦ σώματός, εἰσιν ὁμῶς.
Τοὔνεκα μὲν τιμῆς θελέθουσι καὶ ἄξιοι αἴνου
Οἷς μᾶλλον ψυχὴ, σῶμα ἢ αὐτὸ, μέλει.
Κάλλιμα οἳ διδόασι νέοις γυμνάσματα πᾶσι,
Γυμνασταί τ' ἐτέως θυμοῦ ἔασι σοφοί.
Οἵ τε διδάσκουσιν μύθων ῥητῆρας ἀρ' ἔμμεν,
Πρηκτῆρας τ' ἔργων, παῖδας εὐπρεπέας.
Τοῖα δὴ ΒΟΥΡΧΑΡΔΟΙΟ πέλει γυμνάσματα ἐσθλά,
Ανδρὸς ἀριπρεπέος, κυδαλίμου τε λίην.
Τοὔνεκα τῶν νεαρῶν μετόπισθεν ἐνίψει ἕκαστος·
ΒΟΥΡΧΑΡΔῳ δοίη ὄλβια πάντα θεός.
Πολλὰ ὁ φίλα θεῷ λέγεν, ἠδὲ χρήσιμα ἄμμιν
Αἰζηοῖς. μεγάλη αὐτῷ ἔησι χάρις.

M. Petrus Côlemannus Pædagogij Jllustris apud Stetinenses Conrector.

ALIUD.

DUx Ariadnæâ veluti Trœzenius arte,
Cretica Dædaleæ permeat antra viæ:

Bur-

Burchardus, Sophiæ, Duce, Gens studiosa labo-
Sic labyrinthæos discit, & arte sapit. (res

Paulus Zacharias Stet. Scab.

In Progymnasmata Eloquentiæ

DOCTISSIMI VIRI Dn. ANTONII BURCHARDI Philosophiæ Magistri, Illust. Gymnasij Stet. Collegæ amici sui singulariter amandi.

Docte vir Antoni, veræ FLOS compte Sophiæ,
Compendium dum per prænobile Rhetora
Instruis, & verbis monstras primordia paucis
Scientiæ profundioris commoda:
Utile tangis opus, Spartamq; insigniter ornas,
Quam nactus es, labore dudum plurimo.
Inter enim ternas Famulantes obtinet Artes,
(Seu actitando privis sive publicis
Quæ sunt in rebus, tecumq; domivè forisvè;)
Ars sanioris primas Eloquentiæ.
Arte Oratori tractatur Fabula. Doctè
Disponitur Narratio; Apophthegmata
Ac Gnomæ meritis poliuntur laudibus; Et quas
Porrò requirit nobilis Facundia,
Copia verborum, multarum & Notio rerum,
Sapientia unde acquiritur & Prudentia.
Macte tuo studio, veræ Flos compte Sophiæ,
Et perge, nec temet labor deterreat.

Sic tua, quæ puris auro argentovè metallis
Se comparari neutiquàm Virtus ferat,
Clarescet, monumenta feret nomenq́, Laborem
Honore laudis digniori pensitans.

M. Balth. Setzer/ Scab. Stet.

ALIUD.

STemmate præclaro nasci, non ultima laus est;
Nec forma ætatis florida laude caret.
Sunt & opes aliquid: multum qui possidet auri,
Vulgus iners rutili tollit ad astra poli.
Vana sed hæc pereunt, *Virtus post funera vivit,*
Vivet & æternum, vana sed intereunt:
Hinc solum ingenuâ quæsitum nomen ab arte
Est stabile, & secum commoda multa vehit.
Id tecum volventi ANTONI ivisse per artes
Pierias placuit, non bona fluxa sequi,
Est labor insignis, qui nunquam clarus abibit
In tenues fumos, larga sed inde feres
Præmia: moxq́; aderit varios comitata labores,
Gloria, Pierides munera magna dabunt.
Perge, velut pergis, posthac ut talia prodas,
Utq́; diu valeas, faxit id omne DEUS.

Christianus Ludecus Jun. Jllustris
Dicasterij Stetinensis Procurator.



EX-



EXPLICATIO PROGYMNASMATUM APHTHONII.

PROGYMNASMATA ista sunt exercitia quædam & prolusiones quasi facultatis oratoriæ sive Rhetorices: γυμνάζειν enim & προγυμνάζειν est exercendo preparare. Sic progymnasmata sunt excitamenta & præparationes quædam ad majora & graviora. Unde Athletarum ludicra, progymnasmata possunt rectè & solent appellari. Quod ista progymnasmata ad Rhetoricam pertineant. 1. Ex titulo manifestum fit. Deinde ex ipsis istis hic propositis exercitijs quæ sunt quædam Rhetorices portiones. Inscribuntur Aphthonij Sophistæ progymnasmata. Sophistæ olim dicebantur, qui certa mercede profitebantur, posse se adolescentes ita instituere, ut de qualibet re proposita possint copiosè & probabiliter verba facere, id est profitebantur Eloquentiam. Itaq; & hæc exercitia hujus professionis sive Eloquentiæ videntur esse. Quod etiam ex enumeratione eorundem patebit.

Quod Progymnasmata sint partes & exercitia Rhetorices.

Probatur 1. ex inscriptione.

Hæc enim proponuntur 15.

2. Inductione. Numerus.

1. *Fabula.*	9. *Vituperatio.*
2. *Narratio.*	10. *Comparatio.*
3. χρεία.	11. *Ethopœia.*
4. *Sententia.*	12. *Descriptio.*
5. *Confutatio.*	13. *Amplificatio.*
6. *Confirmatio.*	14. θέσις.
7. *Locus communis.*	15. *Legislatio.*
8. *Laudatio.*	

Quomodo singula pertineant ad Rhetoricā. Accipitur definitio & partes Rhetorices.

Rhetorica est facultas quædam inveniendi inquolibet negocio vel in rebus practicis & civilibus quibuslibet id quod probabile est, & quo possis alijs sententiam tuam persvadere: sive efficiendi syllogismos practicos. Potissima autem persvadendi vis sita est in ratione & causis, quare aut tu ità sentias, aut alios sentire velis, egregiam quandam veri similitudinem habentibus: Nihilominus non parum adjumenti conferent apta verborum elegantia tum artificiosa rationum dispositio. Itaq; hæc tria potissimum tractat.

1. Rationem conficiendorum Syllogismorum practicorum, vel inventionem. 2. Elocutionem.
3. Orationis partes seu dispositionem.

Quomodo pertineat & quorsum 1. Fabula. 2. Narratio. 3. Sentētia. 4. χρεία. 5. Confirmatio. 6. Confutatio. 7. Laudatio. 8. Vituperatio. 9. Comparatio. 10. Amplificatio. 11. Descriptio. 12. θέσις. 13. Lex. 14. ἠθοποιία. 15. Locus communis.

Quos dixi Syllogismos practicos vel oratorios: exemplum & Enthymema intelligo. His enim duobus potissimum utitur Orator: Jam exemplum aliud est fictum, aliud verum, 2. Rhet. c. 20.

Fictum est fabula vel Apologus.

Verum est res gesta vel huius narratio.

Enthymematis pars est sententia, sive ea communi usu & opinione recepta sit, quam Autor noster solam sententiā dicit: sive ab uno viro prudente forte originem duxerit, quam Aphthonius vocat χρείαν.

Duplex autem est usus demonstrationis.

1. Confirmandi.
2. Refutandi.

Hinc confirmatio & confutatio.

Omnes causæ vel res circa quas Rhetorica versatur ad tria revocantur genera: Demonstrativum, Deliberativum, & Judiciale. Hinc in demonstrativo, Laudatio & Vituperatio locum habet: Item comparatio, quæ vel est simplex probatio vel amplificatio. Descriptio item videtur huc pertinere. θέσις ab ipso authore nostro vocatur quæstio Deliberativi generis. Huc pertinet Lex de qua disputatur, sit ne abroganda vel non: vel an sit utilis vel inutilis. Omnis probatio fit vel ex moribus, cujus particula est ἠθοποιία: vel affectibus vel rationibus. His inveniendis diligenter debemus exerceri: Itaq; proponuntur loci communes, sive qui possint ad plures causas accommodari, in quibus exerceri debemus.

Ratio

Ratio conſiderationis, vel quid de his Progymnaſmatis doceatur.

Conſiderantur ut diſcatur modo ea conſcribendi.

Conſiderantur ut efficienda: Eſt enim Rhetorica habitus inſtrumentalis, vel efficiendi Inſtrumenta quibus utamur in perſuadendis auditoribus. Omnes autem hujus generis diſciplinæ comparantur crebris exercitijs, ſecundum Ariſtotelis pulchram ſententiam. 2. Eth. c. 1. ἃ δεῖ μαθόντας ποιεῖν, ταῦτα ποιοῦντες μανθάνομεν. Si quæ oportet facere, poſtquam diſcendo habitum & facultatem acquiſiveris, ea agas, & facultatem hanc acquires.

Progymnaſmata autem hæc ſunt hujusmodi Inſtrumenta, vel media quibus utitur orator in juſta oratione, itaq; in his conficiendis & elaborandis exercere ſe debent, qui ad oratoriam aſpirant, & in his crebrò, diligenter & ſecundum artis præſcriptum exercentes ſe, magnam ad eloquentiam & egregiam facultatem atq; ſubſidium ſibi comparabunt. Nam initia ſaltem & partes quædam Inſtrumentorum Rhetoricorum in progymnaſmatis conficienda proponuntur, Quod omnis exercitatio incipit a levioribus & facilioribus. Ad quæ ſi adijciantur exercitia reliquarum partium Rhetoricarum, non minimum in Eloquentia progreſſum aliquis fecerit.



PROGYMNASMA PRIMUM FABULA.

Textus περὶ μύθου.

Ὁ Μῦθος ποιητῶν μὲν προῆλθεν, γεγένηται δὲ καὶ ῥητόρων ἐκ παραινέσεως. Ἔστι δὲ μῦθος, λόγος ψευδὴς εἰκονίζων ἀλήθειαν. Καλεῖται δὲ συβαριτικὸς, καὶ κίλιξ, καὶ κύπριος, πρὸς τοὺς εὑρόντας μεταθεὶς τὰ ὀνόματα. Νικᾷ δὲ μᾶλλον αἰσώπειος λέγεσθαι, τῷ τὸν αἴσωπον ἄριστα πάντων συγγράψαι τοὺς μύθους. Τοῦ δὲ μύθου, τὸ μὲν ἐστι λογικόν, τὸ δὲ ἠθικὸν, τὸ δὲ μικτὸν, καὶ λογικὸν μὲν, ἐν ᾧ τι ποιῶν ἄνθρωπος πέπλασται: ἠθικὸν δὲ τὸ, τῶν ἀλόγων ἦθος ἀπομιμούμενον· μικτὸν δὲ, τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, ἀλόγου καὶ λογικοῦ. Τὴν δέ παραίνεσιν δι᾽ ἣν ὁ μῦθος τέτακται προτάττων μὲν, ὀνομάσεις προμύθιον. Ἐπιμύθιον δέ, τελευταῖον ἐπενεγκών.

Fabula à poëtis quidem prodita est: verum cum his etiam Oratoribus est communis, quandoquidem in adhortationibus idonea est. Est autem fabula Oratio falsa sub imagine exprimens veritatem. VOCATUR nunc Sybaritica iterum Cilissa, aut Cypria mutans nomen secundum inventores. Potior tamen obtinuit consuetudo, ut Æsopicæ vocentur fabulæ quod Æsopus in primis optimus fabularum scriptor habeatur. FABULARUM GENUS unum est λογικόν, alterum morale. Tertium compositum.

Λογικὸν vocant in quo homo aliquid facere fingitur. Morale, in quo τὸ ἦθος consuetudines & mores rerum ratione carentium effingimus. Compositum in quo utraq; illa genera reperiuntur. SENTENTIAM autem, cujus gratia fabula excogitata est, eam inquam si primo loco enarrationis collocaveris, vocabunt προμύθιον. Si post fabulam subjunxeris, ἐπιμύθιον affabulationem.

Quadmodum mathematici annum caelestem Solis tradunt esse imaginem variatam [illegible] ad orbem reflexam: sic fabula indicium est animi alio reflectentis intellectum.

Ant. de Wide

Commentatio.

FABULA GRÆCE μῦθος, item λόγος, item ἀπόλογος, Poëtarum opus est vel proprium instrumentum, quo utuntur ad persuasionem. Oratores autem jucunditatis causa etiam istis utuntur. Quod dicit Author in admonitionibus esse idoneam fabulam: ita intelligas, quod generi deliberativo præcipuè inserviat, sed non tantum vel soli: verũ etiã reliquis generibus causarũ. De hoc Progymnasmate tria docebimus ex Authore I. Definitione, II. Species, III. Partes. *Nomen: origo, usus.*

De Authoris definitione v. exercitia.

Fabula est exemplum fictum Aristoteles lib. 2. Rhet. c. 20.

Exemplum est res singularis vel propositio singularis, adhibita ad probandam Propositionem similem item singularem: Ità ut utriusq; Propositionis subjectum sit sub eodem universali, eg. Athenienses contra vicinos bellum gerere est malum, quia Thebanos contra vicinos bellum gerere erat malum. Hic quæstio vel Propositio probanda, est: Athenienses malè fecerunt, sive Atheniensium factum est malum & repræhendendum: probationis loco assumitur exemplũ: Thebani malè fecerunt, Hæ nunc duæ Propositiones sunt similes. 1. Quia idem habent prædicatum, quæstio & exemplum. 2. Dicuntur similes, quia sunt sub eodem universali subjecto utriusq; Propositionis scilicet Athenienses gesserunt bella contra vicinos. Thebani item gesserunt bellum contra vicinos. Postremũ hoc attributum in omni exemplo debet utriq; extremò inesse sine controversia, sive debet prædicari de subjecto illius utriusq; Propositionis. Sed primum attributum, ut hic (malè fecerunt) notum quidem debet esse de exemplo probationis, v. g. Thebanos malè fecisse: sed de propositione probanda aliter res se habet: hic ignotum est, an prædicatum insit subjecto, ut an Athenienses malè faciant. *Definitio. Genus, Exemplum. quid sit. definitio exempli popularis.*

ALIUD EXEMPLUM. Cicero filius conjunget Philosophiam Latinam cum Græca, & utilitatem inde sentiet maximam; quia Pater idem fecit, & utilitatem hanc sensit. Hic quæstio probanda est, an Cicero filius utilitatem hanc sit sensurus: Affertur exemplum: Pater sensit. E. filius sentiet.

Ratio consequentiæ est, quia Pater conjunxit utramq; Philosophiam, & filius conjunget utramq; Philosophiam. Plena explica-

tio vel resolutio in Syllogismũ talis est: Cicero Pater sensit magnam utilitatem.

Cicero Pater conjunxit utramq; Philosophiam.

E. utramq; Philosophiam conjungens sentiet magnam utilitatem.

Jam Cicero filius item conjungit utramq; Philosophiam.

E. & Cicero filius sentiet magnam utilitatem.

Altera exẽpli definitio Aristotelis 2. pr. Anal. cap. 24.

Aristoteles definit exemplum, quod sit Syllogismus cujus medio extremum inesse ostenditur per simile tertio. Tum requirit duas conditiones: primum ut notum sit mediũ inesse tertio: 2. ut notum sit primum inesse simili, e. g. volo probare Esavum juste fuisse à Deo punitum. Affero exemplum, quia etiam Cham fuit juste punitus. Uterq; autem fuit impius. *Resolutio.*

Declarationis causâ assumũtur quædam exempla.

Syllogismus primus vel prior.

Cham justè à Deo fuit punitus.

Cham fuit impius in parentem.

E. Omnes impij in parentes à Deo justè puniuntur.

Syllogismus secundus vel posterior.

Sed jam etiam Esau impius fuit in Parentem.

E. & Esau à Deo justè fuit punitus.

Resolutio in terminos quatuor.

Hic quatuor sunt termini. 1. Subjectum conclusionis ultimæ scilicet Esau. 2. Prædicatum scilicet à Deo puniri. 3. Medius terminus, sive qui cum istis duobus connectitur in posteriori Syllogismo, qui est, Impius in parentem. 4. Exemplum accedit, quod connectitur. 1. cum prædicato conclusionis ultimæ, deinde cum medio isto dicto (impius in parentem) & inde fit alius Syllogismus. Duo enim sunt in omni exemplo Syllogismi: Primus exemplum sive terminum illum singularem probationis loco adductum componit cum medio termino & majori, sive primo termino posterioris Syllogismi. Et sic ex majori & medio termino posterioris Syllogismi & addito novo termino minori fit Syllogismus prior, medius tamen ille terminus posterioris Syllogismi fit minor prioris Syllogismi, & novus ille additus quasi minor terminus, in priori Syllogismo fit medius. Hic Syllogismus semper fit in tertia figura: & Conclusio subnectitur universalis, quod fit contra naturam istius figuræ, itaq; infirma est omnis exempli consequentia.

Duo in exẽplo Syllogismi. Prior.

Posterior.

Alter deinde Syllogismus conclusionem prioris sumit loco ma-

joris Propositionis subjungit minorem Propositionem ex minori termino & medio, unde tandem consequitur conclusio principalis.

Explicatur definitio Aristotelis.

Posterior Syllogismus semper conficitur in prima figura. PRIMUM in definitione Aristotelis vel EXTREMUM est prædicatum conclusionis ultimæ sive posterioris Syllogismi, vel terminus major: MEDIUM item intelligitur posterioris Syllogismi: TERTIUM est terminus minor, sive subjectum conclusionis ultimæ. SIMILE TERTIO est res singularis illa probationis loco adducta, vel medium prioris Syllogismi. Dicitur simile tertio, quia sub majori propositione posterioris Syllogismi æque poterat subsumi atq; alter, sive tertius terminus. Differentia autem in eo tantum consistit, quod priori illi exempli loco adducto prædicatum in esse notius sit. Itaq; quod Aristoteles ait, PROBARI PER EXEMPLUM QUOD PRIMUM (sive extremum) INSIT MEDIO: est probari majorem propositionem universalem: quod dicit PER SIMILE tertio: Est probari per terminum particularem. Quod postea aliud particulare subsumimus, fit hoc vi consequentiæ majoris Propositionis, quia sub omni universali Propositione subsumere licet ejusdem particularem. e. g. Si impius juste punitur. E. etiam Cham vel Esau.

Alia exempla in quibus eadem exerceatur analysis.

Filia matrem uberibus lactat & mirificè laudatur. Hinc ad pietatem adhortaberis. Damon & Pythias etiam Dionysium Tyrannum ad sui amorem flexerunt, singulari fidei exemplo. Hinc hortabimur aliquem ad fidem conservandam in amicitia.

Tertia definitio ἐξωτερικὴ vel popularis.

Exemplum est factum singulare vel mores singulares alicujus vel aliquorum cum ἐπικρίσει vel adnotatione judiciorum, de isto facto, aut eventûs. Unde concluditur sententia vel gnome, quod omnia ejusdem generis facta eundem eventum sortiantur, aut quod idem de ijsdem judicandum sit.

Et hinc porrò colligitur quod hujus vel illius, de quo in præsenti negocio agimus hominis factum, cum sit dicti istius generis, item exitum istum sortiatur, & quod idem de hoc eodem sit judicandum.

Resolutio vel analysis vel declaratio terminorum & Pro-

α Persona illa singularis exempli loco adducta connectitur primum β cum ἐπικρίσει & fit major propositio prioris Syllogismi. 2. γ

Cum

positionum popularis.

Cum facto suo & fit minor Propositio: δ hinc concluditur deinde gnome. ε Sub ista γνώμη subsumitur deinde persona de qua agis, & ostenditur hujus factum esse simile priori. ζ Hinc concluditur posteriori & ultimo Syllogismo, etiam ἐπίκρισιν hujus facti similem esse debere, e. gr. α David β fuit graviter punitus. γ David fuit adulter. E. δ Omnes adulteri graviter punientur. Jam hic & ε ille & ille atq; ille, item quintus & sextus sunt adulteri. E. ζ graviter puniendi. Sed omnes partes hæ non semper solent exprimi in oratione. 1. Nunquã ità distinctè ponuntur propositiones, sæpè in unam confunduntur propositionem factum & ἐπίκρισις, ut graviter fuit punitus David propter adulterium. 2. Aliquando ἐπίκρισις non adjungitur cum sit per se manifesta, e. g. Herodes cum metueret sibi à Christo, omnes Bethlehemiticos infantes interfici jussit Matt. 2. Non adjungitur fecit impiè, crudeliter, quia hoc quilibet ipse intelligit.

Quanta varietate proponantur exempla, vel quibus partibus.

3. Sententia vel γνώμη aliquando omittitur.

4. Sæpissimè conclusio ultima vel singularis sub γνώμη subsumta omittitur. Exempla plurima sunt in Valerio Maximo.

5. Aliquando & γνώμη & ultima illa conclusio omittuntur, ut in omnibus ferè historiographis. Quando igitur nos volumus exemplis istis uti, possumus & γνώμας addere & has pro occasione & re nata, accommodare factis singularibus, e. g. Hic & ille sic fecit, sic vixit. E. easdem laudes, eandem pœnam, eandem fortunam & successus meritus est, æquè benè vel malè fecit.

6. Aliquando plurima vel plurium facta singularia afferuntur loco exempli, & sic majorem habent vim probandi.

7. Factum in exemplo solet prolixè & cum pompa quadam atq; ornatu narrari, additis παρέργοις & emblematibus.

8. Aliquando factum præsens comparatur cum facto isto, quod exempli loco adductum est, & ostenditur nostrum esse majus vel minus, pejus, melius, atrocius, præclarius: & concluditur ἐπίκρισιν etiam esse intendendam vel remittendam, vel majorem laudem aut pœnam deberi, pejus aut melius factum esse.

Differentia in definitione fabulæ.

Est Exemplum Fictum. Quia in fabula vel factum illud

vel ἐπίκρισις vel utrumq; tribuitur alicui personæ confictæ, puta brutis & inanimatis, aut homini ficto in Comœdia, e. g. In Comœdia fingitur Pamphilus amare, Davus herũ fallere. Illud adolescens, hoc servus facere solet. Sed Davo & Pamphilo, personis fictis pro tempore tribuuntur. Itaq; fabula est, ex ista fictione. Aliquando fingitur factum saltem & ἐπίκρισις ut Hercules fingitur ex Jove natus, quia monstra serpentum & hominũ confecerit: Utrumq; est fictum, res gesta, & ἐπίκρισις quod scilicet sit ex Jove natus, Persona non est ficta. Aliquando quasi ter-geminâ fabulâ omnia ficta sunt. Quando autem ipsa ἐπίκρισις & factum sunt quædam particularia & ficta, inde in γνώμη subsumendum est vel abstrahendum quasi universale, e. g. Cicadæ esuriunt hyeme. Cicadæ cantant & ociosæ sunt æstate. E. Cantantes & ociosi æstate esuriunt hyeme. i. e. ociosi & ignavi & occasionem negociorum negligentes hâc præterlapsâ dant pœnas tandem suæ ignaviæ & damno afficiuntur. Sic formicæ habent hyeme quod edant. Formicæ laborabant æstate. E. qui laborant æstate, habent hyeme quod edant. i. e. E. homines strenui & industrij, quos nullius pænitet laboris, deinde, si occasione utuntur, sentient hujus suæ industriæ fructus.

DE SECUNDO.

FABULARUM Genus &c. Quæ introducuntur exempli loco, quasi personæ, Nunc sunt bruta animalia, quò pertinent etiam plantæ, arbores & alia inanimata: Et hoc genus appellat Author noster ἠθικάς sive morales: Nunc sunt homines sed ficti: hoc appellat λογικάς. Alicubi & feræ & homines introducuntur: appellat Author noster μικτάς & compositas ex utroq; genere. Verùm non tantùm bruta & homines exempli loco in fabulis introducuntur, sed quicquid est corporum naturalium, imò etiam artificialium. Ut in fabula de certamine Solis & venti, item de monte parturiente. Plautus Arcturum introduxit. Item fabula de duabus ollis natantibus. Item accidentia aliquando personæ finguntur esse: ut luxuria & inopia, somnus, fama, item senex & mors. Aliquando Dij introducuntur ficti quidem. Itaq; si ratione diversorum terminorum, qui exempli loco in fabulis inducuntur, partiri libet fabulas, non tantum

Dividuntur fabulæ in species tres. ἠθικάς. λογικάς. μικτάς. Ostenditur plures esse secundum eamdivisionis ratione, fabulæ species.

duo sunt genera fabularum aut tria, sed omnino quot sunt rerum genera.

Divisio secunda Authoris. Habet & aliam divisionem Author à diversis fabularum authoribus, sed minoris momenti.

Divisio tertia. Posset & tertia dari à quantitate & qualitate terminorum. Aliæ enim sunt THEATRALES aliæ PHILOSOPHICÆ. THEATRALES dico quæ prolixè narrantur, ut Comœdia, Tragœdia, Satyra, Rhapsodia &c. & propter pompam possunt adhibitis actione & cantu exhiberi spectandæ. PHILOSOPHICAS dico reliquas, quas vulgò, Poëticas & Æsopicas, quia hæ Philosophorum inventum sunt, priscorum scilicet. Et ex his Aliæ PHYSICÆ sunt, & rerum naturalium mysteria continent sub involucris figmentorum, ut fabula Saturni devorantis filios: quâ significatũ, omnia tempore fieri & corrumpi: Aliæ sunt ETHICÆ vel Politicæ & populares &c. ut Æsopicæ. Item ALIÆ Fingunt res saltem singulares, quarum genus non est fictum, ut captus in prælio buccinator, &c. hoc perpetuum est in Comædijs. ALIÆ totum genus facti fingunt, ut mons parturiens. Vulpes ciconiam convivio excipit. ALIÆ saltem aliquid affingunt, potissimum rebus brutis & inanimis rationem, atq; intelligentiam, deliberationem & consilia, ut Sol & Aquilo sponsionẽ fecerant &c. Sed de his accuratius præcipere est Poëtices, & non hujus loci.

DE TERTIO.

Considerantur fabulæ partes, primum majores, propositiones & cõclusio.

UT in Syllogismo sunt propositiones & Conclusio, ita etiam in fabula vel exemplo ficto. Diximus autem in Exemplo duos Syllogismos esse, sed posterior in Rhetorica Poëtica, Historijs, & ubi alias extra orationes populares de causis vel negocijs singularibus exempla tractantur, hic inquam posterior ille non attingitur. Sic igitur in priori isto Syllogismo remanentes partes hic erunt considerandæ. Et duæ ponuntur ab authore nostro. 1. Fabula i. e. duæ propositiones vel præmissæ. 2. Sententia vel conclusio, quia exemplis fictis & veris solet apponi universalis aliqua sententia, pronuncians de moribus, quid in his rectum vel non sit, quid eligendum & fugiendum, & quis unumquodq; eventus consequatur. Collocatur autem illa sententia nunc initio narrationis, nunc in fine, vel aliquando

fabulæ

fabulæ proponitur, aliquando postponitur. Itaq; à situs hujus diversitate appellatur sententia eadem προμύθιον, si præponatur: si postponatur, ἐπιμύθιον.

Cōclusionis duplex sit9 & nomen.

NOTA. Duæ illæ Propositiones habent fabulam, & major quidem ἐπίκρισιν. Minor factum; Et in his omnis ratio probandi per fabula absolvitur: aliquando tamen adijciuntur etiam aliæ Propositiones ornatus & delectationis causa, quia præcipua fabulæ vis est in delectatione. Præter has majores partes aliqua etiam instituenda est consideratio minorum, sive terminorum singulorum, qui etiam hic tres sunt ut in Syllogismo, Major, Minor & Medius. Major est ἐπίκρισις. Minor est ipsum factum vel mores. Medius est persona illa vel vera vel ficta exempli loco adducta: ut canis umbram captans deluditur. Deluditur est terminus major; umbram captans est minor; Canis medius.

Propositionum consideratio.

Considerantur partes minores sive termini.

De termino medio.

Aliquando tantùm una & solitaria aliqua persona adducitur: ut gallus reperiens unionem: Aliquando duæ vel plures personæ introducuntur: ut Asinus subinde mutans herum: hic aliquando etiam geminatur factum, aliud enim forte agit alia persona, ut Asinus blandiens hero, jtem catulus blandiens hero; hic Asini blanditiæ ingratæ sunt, placent canis. Sic cicadæ ociosæ sunt æstate, formicæ laborant. Aliquando illæ multæ personæ requiruntur ad unam simplicem actionem, ut Rana & Mus concertabant, advolabat Milvius & utrumq; abripuit. Aliquando multæ illæ personæ adhibitæ sunt explendæ orationis causa, ex his una Princeps est, cujus factum præcipuè attenditur, ut in fabula de vespertilione transfuga; hic est persona præcipuè attendenda, reliquæ, Leo, Aquila, consiliarij horum, milites &c. tantum finguntur orationis explendæ causa, id est, ut sit plena, habeat occasiones, & sic ad similitudinem rerum verè gestarum sit conficta.

Consideratio termini medij.

De Termino minori.

Factum etiam unius & ejusdem personæ nunc Simplex est nunc Multiplex, vel multarum partium aut specierum, e. g. Comędiæ, Tragædiæ, Satyrę & Rhapsodiæ habent prolixissimam commemo-

Consideratur terminus minor.

rationem. In reliquis fabellis Aliquando narratio facti poteſt breviter expediri: Aliquando non niſi per ambages, quòd factum multas habeat circumſtantias ac partes: Aliquando ingenij cauſa & exercitij poteſt factũ aliquod ſimplex in multas partes dividi, tum poſſunt advocari in narrationem, quæ aliàs abeſſe poterant circumſtantiæ, e. g. fabula de formicis & cicadis ſic narretur.

Prolixa narratio fabulae.

Æſtatis quædam deſcriptio inſtituatur, ſegetis aut campi floribus & ſegete pulcherrimis obſiti, de cicadarum, item formicarum natura, ex Phyſicis proferantur quædam. Prolixè deſcribatur luxuries & mollities cicadarum, quomodo abuſæ tempeſtate tàm commodâ ſint ad ignaviam atq; ocia, quid fecerint, cantaverint, ſaltârint, ſuavia præſentia quæ erant prima habentes, tum formicas quaſi ſtultum pecus & avarum præ ſe contemſerint, quæ non item ſecum deliciarentur aut ociarentur. Et hic affingantur variæ ſententiæ, quibus uti ſolent homines luxurioſi & molles: edamus & bibamus, cras enim moriemur, quis ſcit an hæc unquam ſit reditura dies: Utamur iſtis ſolibus & hac commoditate temporis dum adeſt. Item illæ, quibus vexant atq; illudunt induſtrios, ſcilicet ajunt: iſti metuunt ne poſſint ſatis capere; ventrem citius poſſunt explere quam oculos; colligunt ſed neſciunt quibus, ſine dubio alienis hæredibus &c. Tum affingantur mores luxurioſorum, nocturni diurniq; ſtrepitus, animorum effœminatio, qua illi redduntur inepti ad labores ſufferendos, tum petulantia ad exercendam injuriam, convicia, maximè in illos quibus invident. Hæc licet cicadis non inſint tamen ſi affingantur mores perſonæ iſti fictæ, qui conveniunt hominibus, quorum illud factum proprium eſt, de quo in gnome cenſuram habes, faciunt fabulam pulchram, venuſtam & jucundam. Sunt enim fabulæ quaſi pictura quædam, quare quò propiùs accedunt ad ſimilitudinem hominum iſtorum, quorum mores pingunt, eò ſunt pulchriores &c.

2. Aliquando ipſum illud factum, quod attribuitur in Propoſitionibus vel fabulâ fictæ iſti perſonæ, etiam colligitur in concluſione. Aliquando ſpeciale ponitur factum in fabula, unde generalius aliquod abſtrahendum eſt in concluſione.

3. Quando plures ſunt partes & circumſtantiæ, tunc una ferè prin-

ceps

ceps est vel præcipuè spectatur; Ideoq; hinc præcipuè ducitur γνώμη & huc accommodatur ἐπίκρισις: reliquæ partes prętereuntur, quod additę sint vel causa explendæ orationis vel ornatus & delectationis gratia.

De termino majori.

Consideratur terminus major.

HIc aliquando est qualitas facti, aliquando eventus. QUALITAS FACTI, ut rectè fecit, malè fecit, temerariè, immodestè, inhonestè &c. quæ non semper exprimitur, quando facilis est hujus adjectio. EVENTUS aliquando pars est narrationis & facti, sed consequens facti alterius præcipui in fabula. Aliquando singulare quoddam ponitur factum loco ἐπικρίσεως, unde abstrahendum est genus quoddam in conclusione. 3. Aliquando prolixius narratur ἐπίκρισις, aliquando brevius saltem. 4. Potest etiam, ut fabulæ partes multæ sunt, ita etiam applicatio & accommodatio ἐπικρίσεως in partes suas dividi. 5. Aliquando præter ἐπίκρισιν principalem intermiscentur ornatus causa ad aliquas circumstantias sententiæ & observata quædam. 6. Luxurie & malitia temporum factum est, ut non utilitatis & doctrinæ causa, sed aliquando ocij fallendi gratia, aliquando scurrilitatis movendæ cęperint fingi fabulæ. Itaq; in plęrisq; nulla attenditur ἐπίκρισις principalis ad honestatem quidem pertinens, in quibus videas ad circumstantias minus principales aliquando sententias apponi.

EXERCITIUM.

Mus, Rana, Milvius.

EXponatur hęc fabula narratione simplici, & affingatur vel excogitetur γνώμη.

Prolixè sic poterit narrari.

1. Ut aliquid de naturis singulorum dicatur.
2. Fingatur tempus, quo ista acciderint, quæ finguntur, puta vernum tempus, & hujus afferatur aliqua descriptio Poëtica.
3. Fingenda est aliqua occasio litium inter murem & ranam.
4. Fingi possunt variæ partes litium, quomodo primùm verbis sibi mutua convicia fecerint. Secundò ad arma concurrerint.

5. Consequentia vel eventus possunt apponi, scilicet vulnera &c.
6. Hic Milvij fiat mentio, describatur, quomodo ille sit perspicaci visu & diligentissimè quærat pastum suum: quomodo isthac prætervolans fortè conspicatus sit prælium: quomodo riserit istorum stulticiam: ex insidijs advolarit: quomodo isti ad hujus adventum latebras quæsiverint: ille præcluserit omne effugium: utrumq; amaris verbis exceperit de temerarijs istis litib9: quomodo ambo suam stulticiam nimis serò conquesti sint: Domum avexerit Milvius & præbuerit pabulum suis pullis.
7. Γνώμη vel sententia est, amicos vel socios aut vicinos, dum temerarias lites inter se fovent, occasionem prædandi hostibus præbere. Hoc vel in fine fabulæ potest breviter aut prolixè proponi, vel in partes dividi, & singulis fabulæ ipsius partibus, unde istæ sententiæ quasi partes ductæ sunt, adjungi. Possunt item ornatus & delectationis causa aliæ inspergi sententiæ ad minus principales fabulæ partes.

Hic omnibus præmittitur quasi Exordij loco vel brevis vel prolixa admonitio de fabulis, harum inventione, authoribus, utilitate & commoditate, item commendatio istius præsentis fabulæ &c.

Alia varia exercitia sive omnis generis Fabellæ ad sententias Ethicas accommodatæ.

De Felicitate.

Sententiæ.

1. Non consistere eam in divitijs. Huc fabula Midæ & Tantali &c.
2. Non in voluptatibus. Huc Syrenum fabula.
3. Non in honoribus. Huc Phaëtontis & Phœbi fabula.
4. Sed in virtutis exercitio. Heroum facta.
5. Est θεόσδοτος sive à Deo hominibus contingit felicitas. Fabula de Hercule ex Jove genito.
6. Comitatur felicitatem eam omnium rerum abundantia sive εὐτυχήματα. Juppiter Rex vel Deus, cujus tempora præ Saturni regno fuêre ferrea, quia Saturnus regnabat justiùs, & hujus tempora fuerunt aurea. 1. Metamorph.

De Virtute.

1. Virtus est mediocritas quædam, vel consistit in mediocritate.

Huc

Huc pertinent fabulæ, Sylla, Charibdis. Item de Icaro.

2. Cujus tamen mediocritatis dfficilis est delectus propter nimiam varietatem humanorum casuum. Adjuvamur v. per prudentiam vel rerum varia cognitione. Labyrinthus & Theseus.

3. Alijs alia bona sunt aut videntur, vir prudens autem & bonus rectè unumquodq; æstimat & verè. 3. Eth. c. 4. Sus quærens de furfuribus. Item Gallus reperiens unionem.

De Fortitudine.

1. Omnibus periculis se credere temerè, cum non sis tibi conscius de tuis aut hostis viribus, nec habeas causam subeundi illius, est audaciæ, & infeliciter cedit, Huc Tygris & Vulpes referuntur.

2. Quidam extra periculum clamosi & occupatissimi sunt, ubi se tutos vident, & cum imbelli hoste, aut aliàs occupato res est: quod est ignaviæ & timiditatis, vitio datur atq; ad occasiones vindictæ observandas hostem invitat. Hircus obsistit Tauro fugienti Leonem. Item Hædus in tecto & Lupus.

3. Plus potest ad victoriam maturatio inceptorum, quam impetus. Item prudentia quam robur. Sol & Ventus sponsione facta certantes.

4. Aliquando cedendum ut iterum possis vincere. Arundo & Quercus.

5. Etiam fortis metuit si graviora sint objecta pericula, vel saltem insolita quædam, quæ sæpè ridicula sunt, si penitus cognoscas: ut Leo audiens Ranam coaxantem, quam nunquam audiverat.

6. Ignavi & audaces semper volunt esse & videri imitatores fortium, ut Thraso dicens idem & Pyrrhus factitabat. Corvus involat Arietem, quod viderat facientem Aquilam.

De Temperantia.

1. Intemperantia & gula multos perdidit. Vulpes irrepens in quoddam horreum.

2. Omnis ferè Intemperantię natura plenè depicta est in fabula Bacchi, Sileni, Veneris.

De Liberalitate.

1. Quod in ingratos collocaveris, perit. Grus & Lupus. Rusticus anguem refocillans.
2. Quorundam beneficia sunt suspecta. Fur cani porrigens panem. Lupus & mulier pariens, cui iste vult esse obstetrix.
3. Beneficia sunt ingrata. Canis venaticus vetulus.

De Magnificentia.

1. Inepta est magnificentia, si ex alienis bonis delicieris. Mus urbanus & rusticus. Et sic secundum ordinem reliquarum virtutum & sententiarũ, quæ in Ethicis tractantur, possunt digeri fabulæ, & hinc ad usum nostrum depromi.

APPENDIX AD PROGYMnasma primum.

1. Quando & quomodo fabulis utendum sit.
2. Quomodo ipsi possimus novas fabulas excogitare.

DE PRIMO.

1. Fabulæ si quam probandi vim habent illa omnis ex jucunditate figmentorum proficiscitur, & quod delectentur auditores illa ingeniorum festivitate ejusmodi quid excogitantium. Itaq; si hæc jucunditas absit, à fabularum usu abstinendum est. Igitur primò rarissimè fabulis utendum IN ORATIonibus serijs. Nam citò parient satietatem & fastidium, ut nimia copia condimentorum in cibis valdè suavium, puta saccari. Deinde videbitur quis solidis rationibus destitutus esse, cum ad fabulas confugiat, maximè si habeat contradicentem, hic ridebit. Demum propter vanitatem & garrulitatem fabularum ex abusu natam, & quod aniculæ & puerouli illis delectentur, videtur harum usus esse alienior à seriarũ rerum & oratoris gravitate.

1. Raro in rebus serijs utendũ fabula.

2. IN REBUS DIVINIS ET PRO CONCIONIBUS SACRIS fortassis planè abstinendum est ab omni usurpatione fabularum, quod, nescio quomodo, dedecere videatur illam majestatem hæc ludicra figmentorum delectatio. Habent v. THEOLOGI, quibus utantur, horum loco Parabolas & Ænigmata. PARABOLAS dico similitudines illas explicatas, ut de homine seminante, qui intelligatur filius Dei, Matth. 13. 21. 22. 24. & 25. ÆNIGMATA vocant implicatas &

contra-

contractatę similitudines sine ἀποδόσει vel explicatione: qualia multa sunt in vaticinijs Prophetarum.

3. IN CONSESSU ERUDITORUM non videntur adhibendæ fabulæ, quod hi minus delectabuntur; maximè si illæ vulgares sint, & non aliqua facultas ingenij appareat in noviter excogitatis. *3. Perparcè apud eruditos.*

4. SIC APUD SENES non videtur usus fabularum. *4. Item senes.*

ADOLEscentes autem magis capientur & rudis populus, quòd admirabuntur facultatem ejusmodi quid excogitandi, & quod sic aptè omnes partes fabulæ respondeant rei præsenti, & sic verisimiliter excogitatæ sint &c. Itaq; etiam eventum istum eundem vel similem in negocio præsenti subsecuturum persuadebuntur propter ingenij simplicitatem.

Exemplo sunt.

Historiæ qui usi sint fabulis.

1. Menenius Agrippa. Quæ narrantur apud Livium lib. 2. Dec. 1. quomodo AGRIPPA cives ex urbe Roma digressos seditionis causa, & montem quendam occupantes narratione fabulosa de dissidio membrorũ humani corporis ita moverit, ut secum in civitatem, & cum senatu in gratiam redierint.

2. Demosthenes. Item quod narrant de DEMOSTHENE. Philippus Macedoniæ pacem erat facturus cum Atheniensibus, deposcebat autem sibi obsides dari Oratores, dissuadebat Demosthenes; fabulam finxerat de lupis pacem offerentibus ovium gregi, si canes sibi obsides darentur. Simplices oves dederunt, & ità prędæ fuerunt lupis. Oratores, ajebat Demosthenes custodiam hujus urbis agunt, & sic canes vestri sunt, O viri Athenienses: quos sibi dum dari petit Macedo, nihil aliud petere existimetis, nisi liberam vos prędandi facultatem. Sic permovit populum, ut istas pacis conditiones recusarent.

3. Stesichorꝰ. Sic STESICHORUS ad Hymerenses, qui elegerant Phalarim Ducem cum summo imperio, & corporis custodiam tradituri erant, dixit fabulam de Equo, qui libertatem homini vendidit, ut cervum à communi prato abigeret.

4. Æsopus. Sic ÆSOPUS in Samo Patronus erat Duci cuidam, vel præfecto capitis accusato, sive peculatûs. Fabulam narravit de vulpe in voragine quadam submersâ & à muscis exagitatâ, quas Erinaceus ini-

ſertus cum vellet abigere: ne feceris, inquit illa, quia iſtis jam plenis ab actis aliæ famelicæ ſuccedent, quæ me totam exhaurient. Iſte jam dives eſt, inquit Æſopus, non nocebit vobis amplius. Si verò alios ſuffeceritis, minus poterint à veſtris bonis depeculandis abſtinere propter inopiam. Sic delinijt populum, fecitq; ut abſolveretur cliens ſuus.

6. Jothan. Sic JOTHAN Jud. 9. pulſus regno patrio & interfectis fratribus à ſpurio Abimelecho, Sichemitis ſucceſſum infelicem iſtius regni prædicit ſub fabula de arboribus Regem eligentibus.

5. Eruditos magis delectant Poeticæ fabulæ. 5. INTER eruditos ſæpius proferuntur fabulæ illæ HISToricæ vel THEOLOGICÆ, ut ſic nunc diſcriminis cauſa appellemus, e. g. de Orpheo, Theſeo, de Græcorum adverſus Trojam expeditione, de Mercurio, Apolline, Muſis & reliquis Dijs, per fabulam confictis, propter ſapientiam quam putant ſub his fabulis occultam.

6. Vulgus Æſopicæ. 6. Alteræ autem illæ PHILoſophicę vel ÆSOPICÆ fabulæ magis delectant VuLgus, quippe cui iſtæ planè ſunt ignotæ; Hæ vero non ità remotæ à ſuo captu.

7. E Comœdijs placent eruditis. 7. E COMœdijs & TRAGœdijs item inter ERuditos licet producere quędam non ignotis ſcilicet: ut Cicero è Terentio ſæpe in oratione in Piſonem Furias producit.

DE SECUNDO.

Quomodo poſſimus ipſi fabulas excogitare.

1. E Philoſophia mutuemur, maximè ex Phyſicis, quæ ſimilia ſunt præſenti negocio. e. g. Si de fortitudine & ignavia agatur, fingantur aliqua de Leone, Urſo, Lupo, aut reliquis majoribus feris: vel de Aſino, Lepore, & reliquis meticuloſis animalibus.

2. Horum naturalibus operibus affingenda ſunt quædam conſilia, ſenſus, intelligentia ac deliberationes: ſic erunt fabula.

3. Illę ſunt jucundæ fabulę, quæ ſumtæ ſunt à rebus maximè diſſimilibus: Sicut artis eſt in rebus diverſiſſimis invenire aliquam ſimilitudinis rationem.

4. Et illud jucundum, ſi nuſquam appareat aliquandiu, quorſum exitura ſint, quæ in fabula narrantur, propter iſtam rerum diſſimili-

tudinem, donec tandem eventus, quod item in Comœdijs fit, inexpectatus advolet.

5. Fabulæ item jucundę sunt, quæ habent falsę causæ ex singulari aliquo facto assignationem, maximè in rebus ludicris. Hic excogitant causas ridiculas, & fingunt quasi illa consilio facta sint, quæ constant natura, e. g. Cur lepores insectamur? Cur nobiles id potissimum faciunt? Cur Simia non habet caudam? Quæ causa inimicitiarum inter lupum & oves: inter Vulpem & Anseres ac Gallinas? Cur equitant Equis & non Bobus? cum tamen hi non sint ita feroces, lenius incedant, nec ita succutiant sessorem, tum robustiores sint; Alexander Magnus item equum habebat cum capite bovino. Cur mactantur Boves & non Equi, cum tamen isti melius mereantur agrum colendo? Cur cantat certis horis Gallus? Cur glocitant gallinę ova pariturę? Cur anseres se credunt pedibus, insidiante Vulpe: Accipitre autem persequente volatui committunt, & sic utriq; fiunt prędæ? Cur adhibentur culinę mulieres & non viri? cum tamen illę propter munditiem libenter abstineant à rebus sordidis, tum in aulis coci non cocę pręficiuntur culinæ.

Materies fabularum fingendarũ exercitij causa.

Hic cogitetur de facto aliquo singulari, unde acciderit, ut vel suâ voluntate, vel superiori aliquo Magistratu mandante, vel fati necessitate cogente, vel naturâ causante &c. Singulæ illę quasi Personę morem istum certi aliquid agendi vel patiendi assumserint. Sic erit fabula. Tractetur v. ut supra de reliquis dictum.





AD PROGYMNASMA SECUNDUM, NARRATIONEM.

Textus ὅρος διηγήματος.

Διήγημά ἐστι, ἔκθεσις πράγματος γεγονότος, ἢ ὡς γεγονότος. Διενήνοχε δὲ διηγήσεως, ὡς ποίημα ποιήσεως. ποίησις μὲν γὰρ, πᾶσα ἡ ἰλιὰς, ποίημα δὲ ἡ τῶν ἀχιλλέως ὅπλων κατασκευή. τοῦ δὲ διηγήματος, τὸ μὲν ἐστι δραματικὸν, τὸ δὲ ἱστορικόν, τὸ δὲ πολιτικόν. καὶ δραματικὸν μὲν, τὸ πεπλασμένον. ἱστορικὸν δὲ τὸ παλαιὰν ἔχον ἀφήγησιν. πολιτικὸν δὲ, ᾧ περὶ τοὺς ἀγῶνας οἱ ῥήτορες κέχρηνται. παρέπεται δὲ τῷ διηγήματι ἕξ. τὸ πρᾶξαν πρόσωπον, τὸ πραχθὲν πρᾶγμα, χρόνος καθ' ὅν. τόπος ἐν ᾧ. τρόπος, ὅπως. αἰτία, δι' ἥν. ἀρεταὶ δὲ διηγήματος, τέσσαρες, σαφήνεια, συντομία, πιθανότης, καὶ ὁ τῶν ὀνομάτων ἑλληνισμός.

Narratio eſt expoſitio rei geſtæ aut quaſi geſtæ. Differt autem narratum à narratione, ſicut à poëſi poema. Univerſa Homeri Ilias eſt poëſis: fabricatio armorum Achillis eſt poêma. E narrationibus autem unæ ſunt Dramaticæ vel poëticæ, alterę hiſtoricę, tertiæ politicæ. Dramaticæ dicuntur fictæ vel rerum fictarum: Hiſtoricæ ſunt rerum jam olim geſtarum: Politicę quibus etiam Rhetores utuntur in litibus. Sunt autem in narratione ſex quaſi comitantes partes, Perſona, ipſum negocium actum, tempus, locus, modus, cauſa. Virtutes narrationis quatuor ſunt: Perſpicuitas, Brevitas, Probabilitas, & vocum proprietas.

Commentatio.

De hoc progymnaſmate QUATUOR docet author. PRIMÒ per definitionem explicat quid ſit Narratio.

2. Diſtinguit nomen in ſua homonyma, item ipſas inter ſe ſpecies narrationis.

3. Proponit partes Narrationis, circumſtantias ſcilicet ex quibus Narratio componitur.

4. Enumerat virtutes narrationis quatuor, unde additur Narrationi pulchritudo quædam, venuſtas ac decor.

DE PRIMO.

Narratio Est Expositio) Genus Narrationis est Expositio, vel Interpretatio, qua auditori depingitur, describitur atq; exponitur mens nostra, vel propositum ac sententia. Hoc genus habet commune Narratio cum omni oratione, imò voce. Aristoteles lib. de Interpr. c. 1. *Definitur narratio. Genus.*

Rei Gestæ) Differentia est Narrationis, quæ non est expositio vel declaratio cujuslibet rei, sed rei gestæ, negociorum, actionum humanarum, vel saltem morum & vitę. Sic distinguitur à reliquis orationum formis omnibus. e. g. Demonstratio vel Syllogismus item est oratio sive declaratio & expositio rerum, sed universalium. Factum autem & negocia sunt singularia, omne enim quod fit singulare est. Fabulę item constant facto vel habent facti quandam expositionem, sed hactenus pars ipsarum est narratio. Sententiæ, laudationes, accusationes &c. item habent facta, sed saltem tanquam partes & secundariò, cum tamen ipsa non propriè exponant quid factum sit, sed ipsis factis adjungant ἐπιχείρησιν, accusent ac laudent. Narrationis autem scopus unicus est, & finis quasi internus, *Differentia.*

Factum: Hujus illa est expositio, sive hoc unicum agit, ut diligenter explicetur, ab auditore percipiatur atq; intelligatur ipsa res gesta vel quid factum sit.

Aut Quasi Gestæ. Differentia Narrationis est duarum partium, quia negocium vel factum, quod in Narrationem venit, duplex est. Aliud enim verè sic gestum est: Aliud saltem excogitatum & effictum ad similitudinem rerum gestarum, quales sunt Poëmatũ partes. Poëticas autem narrationes vult author complecti sub hoc uno genere Narrationis, itaq; debebat etiam communem definitionem dare. Quare cum differentia aliqua communis utriq; generi, non inveniretur, ille distinctas duas posuit loco unius, ut sic saltem æqualis fieret definitio omnibus speciebus.

DE SECUNDO.

Differt Autem Narratum à Narratione. Distinguitur quędam homonymia in voce græca. Duæ enim sunt voces, διήγησις & διήγημα, quas author ait differre significatione inter *Distinguitur nominũ differentia. Quid differant.*

 se.

διήγημα & διήγησις.

se. Explicat per analogiam vel simile exemplum. Differunt enim inquit ut Poësis & Poëma. Quomodo Poësis & Poëma differant, ostēdit exemplo. Ilias Homeri inquit est POËSIS; quælibet particula, ut fabricatio armorum Achillis, est POËMA: i. e. differunt magnitudine ut totū & pars, ut majus ædificium & minus. Sic igitur διήγησις erit aliquod opus, e. g. Tota aliqua disciplina, potissimum quæ est de factis, Item historia Livij, Cæsaris, Herodoti. Διήγημα autem erit brevior quædam narratio, e. g. Quomodo Cæsar sit in curia confossus aut Romæ reges exacti. SCALIGER lib. 1. Poëtices c. 2. futilem putat hanc distinctionem, & improbat. Sic autem distinguit Poësin à Poëmate: POËMA, inquit, ipsum opus sive parvum sive magnum significat, vel quasi materiam. POËSIS autem formam significat actionis, sive ipsam inventionem Poëmatis. ARISTOTELES certè διήγησιν etiam ad partem significandam adhibuit vel generaliter usus est 3. Rhetor. cap. 13. Demum, quicquid sit de voce græca, Narratio non ita distinguitur à narrato, sed generaliter usurpatur nunc de toto aliquo opere, nunc de parte.

Dividitur narratio in species tres.

E NARRATIONIBUS) Divisio Narrationis in SPECIES TRES à diverso objecto vel materia, sive à diversis generibus factorum: & sic facta per divisionem differentiæ genericæ. PRIMA species sunt DRAmaticæ vel THEAtrales, sive POëticæ narrationes, quæ sunt fictæ, i. e. habent personas fictas, res atq; alias circumstantias vel aliquas vel omnes.

1. Species. narratio ficta.

1. secundum aliquas circumstātias.

ALIQUAS e. g. Turnum, cum Ænea congressum, variè pugnasse, deinde etiam lapidem in ipsum conjecisse,

campo qui forte jacebat,
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
Vix illud (saxum) lecti bis sex cervice subirent
Qualia nunc hominum producit corpora tellus,
Ille manu raptum trepidâ torquebat in hostem
Altior insurgens & cursu concitus heros.

Hic Æneam & Turnum fuisse non est fabula. Item certasse inter se duello, multi sunt qui credunt: sed MODVS pugnæ, instrumenta, tum QUid dixerint aut fecerint &c. hæc pars omnis ficta est.

Omnes

OMNES circumſtantias fictas habent e. g. Nuptiæ Laboris & Virtutis, ex quorum conjugio natus ſit honor. *2. ſecūdum omnes circumſtātias.*

Deinde ALIæ ſunt fictæ circumſtantiæ in iſtis Narrationibus ſaltem SEcundum individuum. ALiæ etiam fictæ ſunt SEcundum genus. SEcundum INdividuum, ubi ipſum genus verum eſt, & ubi poterant iſtiusmodi accidere, quæ ficta narrantur: Sed ſaltem hoc tempore, iſto loco & reliquis circumſtantijs ſingularibus additis accidiſſe fictum eſt e. g. Deſcribitur ap. Virgilium prælium vel pugna Trojanorum adverſus Italos, narratur qui in iſta acie ceciderint, quos interfecerit Turnus, quos Æneas, quos Pallas, quos Camilla: Hic fictio eſt INDIVIDUI non generis, i. e. pugna & duces & exercitus, & quosdam cadere in prælio quoſdam victores exiſtere &c. hæc non ſunt ficta: ſed iſta pugna Æneæ cum objectis hoſtibus ſingulis, e. g. cum quatuor juvenibus Sulmonenſibus, cum Mago &c. hoc fictum eſt Æneid. 10. GENUS autem fictum eſt e. g. In fabula Polyphemi, 3. Æneid. Harpyjarum, Sirenum, Circes, 3. Æneid. *3. Secundū individuū.* *4. ſecundū genus.*

HISTORICÆ autem narrationes ſunt.] Altera ſpecies Narrationum ſcilicet hiſtoricæ narrationes, quæ ſunt expoſitiones rerum verè geſtarum. Sic differunt à Poeticis. *Altera ſpecies narratio hiſtorica.*

SED jam olim geſtarum παλαιὰν ἀφήγησιν habent, inquit author noſter, i. e. non pertinent ad præſens negocium tanquam partes quippe ab alijs, & alio loco ac tempore geſtæ. Adducuntur verò ſimilitudinis & probationis cauſa à Rhetoribus, tanquam exempla. Sic differunt à tertia ſpecie.

POLITICÆ hiſtoriæ.] Tertia ſpecies narrationum, quas author noſter appellat POLITICAS, ſaltem diſcriminis cauſa, quia re differunt à ſuperioribus, ut etiam nomine diſtinguantur. Sic autem deſcribit, illas ſcilicet vocare ſe politicas, quibus utuntur Rhetores in litibus: Sed hoc obſcurum eſt. Propius ſic deſcribas. Narrationes Politicas nunc vocari ipſam negocij præſentis, de quo contenditur, deliberatur, agitur, expoſitionem. Nam alias etiam Rhetores Poëticis & hiſtoricis narrationibus utuntur i. e. adducunt iſtas probationis cauſa: Sed præter has eſt Tertium quoddam genus, quando res iſta ipſa præſens exponitur, cui proprius locus aut pars aliqua juſtæ orationis aſſignata eſt à Rhetoribus, quæ vocatur Narratio. e. g. Cicero in ora- *Tertia ſpecies, narratio politica, vel cauſæ propria vel oratoria.*

tione pro Milone, narrat ipſam rem geſtam inter Milonem & Clodium. Item plurimas hiſtorias de Marco Horatio, Mario, de temporibus ſuis, ſive ſui conſulatus: hæ ſunt hiſtoricæ Narrationes. Item de Oreſte, qui à Dijs fuerit abſolutus à cæde materna, quod Patris ulciſcendi cauſa feciſſet: hæc poteſt eſſe Dramatica vel Poëtica Narratio.

De Nomine Politicæ Narrationis.

POLITICArum Narrationum) nomen puto inditum, vel quia aliud non ſuppetebat; vel à materia, quia in hoc genere ſæpiſſimè narrant negocia civilia, ſive è medio vitæ communis ſumta, quæ alias narrari opus non eſſet, niſi propter præſens negocium, e. g. pro Milone: Milo è ſenatu domum redijt, calceos & veſtem mutavit, paulisper dum ſe uxor, ut fit, comparat, commoratur &c. In Rhetoricis hoc genus propriè vocatur Narratio.

Inquiritur cauſa hujus diviſionis in tres ſpecies.

Aliter ſic poſſumus diſtinguere iſtas tres ſpecies narrationis. Res geſta narratione exponenda, Alia eſt in controverſia, vel de qua diſceptatur, & hujus Narratio dicitur ab Authore Politica, & eſt veluti Problema vel quæſtio, 3. Rhet. c. 13. i. e. terminus minor, vel ſubjectum quæſtionis unde potiſſimũ conſtituitur Problema, iſta Narratione explicatur. ALia præterea eſt res geſta, ſimilis noſtræ vel diſſimilis, non tamẽ ejuſdem pars, quam ſolent Oratores adducere probandi cauſa, & hæc habet ſe ut ἀπόδειξις, vel habet locum probationis, ſcilicet tanquam exemplum; HÆC vel ficta eſt vel vera. Ficta Narratio appellatur Dramatica ſive Poëtica: Vera, hiſtorica.

DE TERTIO.

PARtes Narrationis ſex ſunt: Perſona, Negocium, Tempus, Locus, Modus, Cauſa. Partes iſtæ non ſunt partes ordinis & ſitus, vel Narrationis jam conſtructæ; ſed ipſius materiæ, i. e. rei geſtæ vel negociorum: Omne enim negociũ vel actio componitur quaſi ex iſtis partibus, quas circumſtantias vocant.

Quomodo exprimendæ ſint Circumſtantiæ.

1. Sunt quaſi oſſa in corpore humano. Inter ſe enim connexis & ſuſtinentibus totam molem Narrationis inducenda eſt caro quædam & color, i. e. quæ commoda fuerint quæſtioni præſenti, ſecundum iſtas partes excogitanda, exponenda, diſtribuenda & applicanda ſunt.

Colo-

Colorem intelligo ornatum illum, quem author noster quatuor virtutibus complexus est.

2. Non semper omnes Circumstantiæ sunt exprimendæ, neq; semper eodem modo: sed referenda descriptio est, & spectanda ejus vel quantitas vel modus ex fine, i.e. ut sit verisimilis ac probabilis & persuadeat, sive semina saltem contineat probationis, si aliqua subsecutura est, e. g. De Milone & Clodio narretur; Milonis quidem fortis animus & patriæ amans, tum alienus à tumultibus: tum reliquæ circumstantiæ, unde possis deinde probare, non sponte suâ Milonem extitisse authorem cædis Clodij. De Clodio, quod fuerit improbus; ex loco apto insidias fecerit, tempus benè longum expectaverit Milonem; irruerit nihil tale timentem Milonem; causam habuerit, ut posset sic Milone remoto impunius grassari in Remp. &c. Nam ex istis Circumstantijs deinde concluditur, & colliguntur rationes, quod Clodius insidias fecerit, vel justè sit interfectus.

Descriptio singularum circumstantiarum.

Descriptio personæ, è quibus locis sumatur.

In persona describenda, hæ possunt attendi atq; exprimi partes.

1. ORIGO vel communis ut Patria, Gens, natio; vel propria, ut familia, genus, Majores, Parentes, Pater, Mater, fratres, cognati, affines.

2. EDUCATIO, quomodo, apud quos, quo loco, tempore, quibus rebus sit institutus quis.

3. NATURA, sive naturales Potentiæ: quo refero sexum, Item Inclinationes & propensiones naturæ ad mores certos: Item ad artes & genus vitæ. Deinde animi affectus, quales sunt Ira, Cupiditas, Mollities, Misericordia, Invidia, Odium, Amor. Item formam corporis; ut procerus, grandis, rufus, simus. Demum TEmperamentum, Item Sanitatem & ægritudinem.

4. QUANTITAS, eaq; continua vel discreta. In continuâ consideretur MAgnitudo corporis: In discreta consideretur numerus personarum. Alias n. una persona absolvit actionem. Aliquando concurrunt plures personæ, e. g. In pugna & lite. Et hæc sæpè Alia est agens, Alia patiens, ut Æneas munerat Didonem, illa accipit munera. Item Aliæ personæ efficiunt negociũ principale: aliæ tantum sociæ & ad-

miniſtræ ſunt, vel tantum etiam ornatus cauſa, explendæ orationis, aut propter minus principalem circumſtantiam adijciuntur e. g. Julus & Achates apportant ſaltem dona è navi: Tyrij verò tantùm adſunt in convivio, & mirantur dona Æneæ, mirantur Julum.

5. Mores: ijq; vel univerſales, quos ſic appello Ethicos iſtos, vel in Ethicis propoſitos e. g. Fortitudo, meticuloſitas, audacia. Et proprij vel ſpeciales, i. e. mores ſingularum ætatum ac ordinum, ut juvenum, virorum, ſenum, pauperum, divitum, potentum, de quibus videatur, Ariſtoteles lib. 2. Rhet. Item Muliercularum, ebriorum, Inſanorum, omnino ſingulorum ordinum, hominum, Item nationum.

6. Alij habitus Intellectuales e. g. Eruditio, Ignorantia: cognitio Philoſophiæ, Theologiæ &c. Item Magiæ, Item peritia rei ruſticæ, navalis, militiæ, opificiorum &c. & contrà Ignorantia iſtarum rerum vel artium.

7. Relationes, quò refero primum officia, conditionem, ſtatum, ordinem e. g. Servus, liber, ruſticus, civis, miles, opifex: Pater, liberi: herus, familia. Rex ſacerdos. 2. Omnes alios reſpectus, e. g. maritus, conjux: Amicus, ſocius, comes.

8. Consilia aliàs ſuſcepta, & geſta varia vel actiones. Quæ ſunt vel perpetuæ ut vitæ genus, vel victus ratio: vel ſunt incidentes: hęq; Aliæ ex habitu, Aliæ fortuitò. Ex habitu; ut quando vir fortis agit fortiter: Turnus aut Æneas vicit in prælio: & Aruns callidus, meticuloſus &c. ex inſidijs percutit Camillam. Fortuitò ut quando Æneas peregrinatur, navigat, ſcopulum conſcendit, &c.

9. Fortunæ & Perpeſſiones, ſive eventus conſiliorum: & quicquid ab alijs patimur ſive boni ſive mali. Pertinet huc igitur etiam honor; Item ipſa mors, omnium ultimus & ipſius vitæ eventus, vel finis accidens.

10. Ubi ſive locus, ubi habitet, educatus ſit, vixerit, fecerit aliquid. Eſt vel communis, ut regio, civitas, vel proprius, ut domus.

11. Quando ſive tempus, quo vixit, & ſingula fecit & quandiu.

12. Situs ſive partium corporis collocatarum deſcriptio, e. g. ſedere, ſtare, auſcultare. Videatur 5. Æneid. Daretis & Entelli pugna.

13. Habitus, quo pertinet cultus corporis e. g. nudum eſſe, veſtitum eſſe, induere arma, exuere arma, & ſingulorum armorum aut

vestium descriptio. Præterea divitiæ sive opes huc pertinent; Item instrumenta, navis, equi, currus, patera, aratrum, tuba, remus &c.

Usus horum locorum, imò circumstantiarum in genere.

Primum hæ circumstantiæ saltem materia & occasio debent esse, non illud ipsum quod dicendum est, sed unde inquiratur, quod in descriptione personæ dicatur.

2. Vix fieri poterit scilicet commodè, ut omnes hæ circumstantiæ possint adhiberi: præsertim si non sit consilium ipsam personam describere principaliter, sed rem præsentem gestam enarrare. Itaq; singulæ partes illæ perquirendæ quidem erunt, sed deligendæ, quæ maximè commodæ fuerint nostro instituto.

3. POSSUNT illæ partes dupliciter describi vel in utramq; partem ὡς κακῶς ἔχοντα, καὶ ὡς εὖ ἔχοντα, IN partem meliorem & in partem pejorem, e. g. ORIGO potest dici nobilis fuisse & ignobilis, legitima & illegitima. Item origo nobilis & illegitima, & similia quæ benè se habent, possunt in partem contrariam interpretatione deflecti sive in partem pejorem: sic mala in partem meliorem, ex ijs quæ aliàs communiter accidunt, aut plærumq; saltem, vel etiam ex ijs, quę præsenti personæ acciderunt, e. g. Si dicas: Nobilis est ex familia, & ex optimis parentibus; Sed novistis, ità plęrumq; fieri, ut nobiles genere sint ignobili vitâ, vel abutantur majorum virtute ad ignaviam. Vel si dicas: Fuit quidem ex nobilibus parentibus; sed ipse nihil dignum gessit istâ nobilitate generis sui. SIC in malis dicas: Fuit quidem ex improbis Parentibus; sed non semper liberi mores parentum improbos imitantur, & sæpè parentes obscuri præclaros habent liberos. Item: Hic igitur cum esset animo excelso, maculam illam ex Parentibus sibi inustam, & obscuritatem generis virtute & præclaris factis vincere voluit. ITEM si adhibeatur contraria descriptio rerum istarum: Contraria dico communi opinioni, e.g. Nobilis fuit: dicas: Ea non est nobilitas vera, ostendere majorum imagines, clypeos atq; insignia, & in his pardos, leones, lupos, simias, sues &c. sed nobilitas vera est atq; unica virtus: Famam extendere factis, hoc virtutis opus.

4. Iterum dictæ istæ circumstantiæ personarum vel aliæ si commodum fuerit, poterunt describi ex ijsdem genere partibus, e.g. parentes

describantur, jtem ex origine, educatione, naturâ & reliquis. Sic in educatione illi, à quibus, per quót, & apud quos fuerimus educati sic describantur, & omnino quotiescunq; inciderint personæ.

Alterius Circumstantiæ, sive negocij & rei gestæ descriptio.

1. distinguuntur res gestæ in sua genera varia. Alia negocia publica, alia privata &c. Privata distinguũtur secundum actionum principia. Alia sunt naturalia.

RES gestæ sive Negocium) Res gesta est quodlibet consilium, institutum, factum aut negocium humanum, quod est vel publicum vel privatum. Publicum ut regionem occupare, civitatem condere, Remp. constituere, jura & leges dare, bella gerere, fœdus & pacem facere & similia. Privata sunt ferè infinita: Possunt tamen distribui secundum illa actionum principia, quæ alia sunt homini interna, Natura & appetitus. Alia Externa, fortuna, vis vel necessitas, fatum. Aliæ igitur actiones ab hominibus fiunt naturâ, saltem secundum genus, cui ars & institutio postea addit modum, e. g. ut cibo, dormire, sensibus uti. Sic quæ ætatum propriæ sunt, ut pueros ludere: adolescentes studio alicui, aut vitæ generi animum adjungere: virgines spectatum venire: matronas rem domesticam; viros etiam publicam curare, liberos educare, Senes consilijs juvare. Sic quæ ab affectibus proficiscuntur sunt quodammodo naturales secundum genus, & quatenus semper eadem fiunt, ut quæ ab amoribus proficiscantur, odio, invidiâ, misericordiâ, benevolentiâ, cupiditate, irâ, metu, dolore, gaudio, spe &c. Demum quæ singulis hominibus sunt propria, quodammodò à natura videbuntur fluxisse. Aliæ actiones proficiscuntur ab appetitu, qui est duplex: sensuum & voluntatis. Sensuum appetitus, quo illa, quæ grata sunt sensibus, appetimus; quæ verò ingrata & injucunda, fugimus. Cujus actiones quodammodo sunt naturales, & eędem cum superioribus, quas ab affectibus proficisci diximus. Habet enim affectus sedem in sensibus, & dominatum. Appetitus voluntatis, qui à recta ratione gubernari potest. Hujus actionũ tot genera sunt, quot sunt genera habituum. Quia omnes habitu & moribus affici & coerceri possunt. Habitus duplex. Intellectualis & moralis. Ex intellectualibus prudentia & ars tantũ practici sunt habitus vel in actionibus occupati. Prudentiæ actiones sunt, consilia, & mores elegantes; præterea varia rerum cognitio, multa experien-

Alia fluunt ab habitus.

tia, varios hominum mores vidiſſe, & urbes. Contrarium eſt Imprudentia & Stulticia: hujus actiones item ſunt contrariæ. Artes verò ſunt infinitæ, & ſingulis ſuæ propriæ actiones & ſic etiam infinitæ. Mores univerſales ex Ethicis noti ſunt item horum actiones.

Vel Moralibus.

EXTERNAS cauſas habent actiones, quæ non proficiſcuntur à nobis volentibus & ſcientibus, quarum Aliæ tribuuntur ignorantiæ ſaltem ſecundum quid e. g. Si ebrius amicum percuſſerit: Alię ex neceſſitate proficiſcuntur, ut verberari, cædi, auferri. Aliæ tribuuntur fortunæ ab hominibus plebeis vel Poëtis, riſus cauſa: à pijs autem & prudentibus Deo & fato, quod fit quoties propria cauſa latet, hic allegantur illę cauſæ univerſales. e. g. Vicit Turnum Æneas cum ille eſſet æquè fortis, ſed cauſa eſt Jupiter & fatum, 12. Æn.

Alia habet cauſas externas.

Juppiter ipſe duas æquato examine lances
Suſtinet, & fata imponit diverſa duorum,
Quem damnet labor, & quò vergat pondere lethum.

Hæc eſt diviſio actionum ſecundum ſpecies ac genera, ad quorum aliquod unum referri poterit quodlibet factum narrandum, & poſſunt obſervatione diuturna colligi, quæ in ſingulorum generum narratione ſint peculiaria, e. g. quomodo prælium narrandum, quomodo ædificatio, venatio, agricultura &c.

Uſus hujus Diviſionis.

Dividamus porrò in partes, ſecundum quas inſtitui poterit narratio. ALia pertinent ad factum præſens tanquam partes: Alia quæ narrantur, cum eodem accidunt, forte eodem tempore, aut eodem loco acciderunt, aut ijsdem agentibus, aut eâdem de cauſa, aut aliâ aliquâ circumſtantiâ eâdem, vel ſaltem ſimili. Partes verò facti ſunt: 1. IPSUM genus facti, & deinde objectum. e. g. In largitione narratur ipſa largitio & munus deſcribitur: ſic in convivio & lætitia deſcribitur ac ſermones atq; tractatio, tum reliqua adhibita in convivio, epulæ, dico, cantiones &c. Ad objectum referuntur materies, inſtrumenta, opus. Item ſecundum principia actionum ſunt partes alię atq; aliæ. e. g. Quid princeps cauſa, ſive perſona principaliter agens ad rem præſentem contulerit, quid reliquæ adminiſtræ ac ſociæ, quid accidentariæ & externæ. Deinde princeps cauſa ſecundum varia in homine eodem actionum principia, etiam varias habebit aſſignatas

2. Diviſio negociorum in partes.
1. Alia ſunt verè pars facti, alia accidunt.
2. Diſtinguitur factum in genus, & objectum.
3. Diſtingui poteſt factũ & fieri hujus partes, ſecũdum principia actionũ varia.

actiones, e. g. quæ consilia mente volutaverit quis: quid locutus sit vel secum vel cum alijs, publicè, privatim, ex instituto vel temerè: Quomodo manu, pedibus, toto corpore annisus sit, fugerit, percusserit, urserit &c.

4. Potest distingui factum in partes secundũ temporis partes. 3. Quia secundum temporis tractum aliæ alijs succedunt partes: Antecedentia continent occasionem: Media ipsum principale negocium: Consequentia eventum. *5. In actus distingui potest vide exercitium subjunctum Usus hujus distinctionis.* Ad eventum referunt, quæ vel natura, vel hominum consilio, vel fato quodam & fortunâ consequuntur, Item Judicia & censuras aliorum. Hæc, sic distincta, pariunt copiam & materiam narrationi.

TERTIA circumstantia TEMPUS. Hoc & per se potest describi vel suis partibus, & ab accidentibus.

Tertiæ circumstantiæ descriptio Temporis. Loci. 1. PER se: sic hæ sunt vel partes vel species percurrendæ, quâ horâ, tempore matutino aut pomeridiano, nocte an die, quo mense, anni tempore, vere an æstate, quo anno, lustro, olympiade, seculo, millenario mundi res gesta sit: & describantur illa tempora singula, ut commodum fuerit causæ.

1.

2. 2. Item in tempore consideratur præsens, præteritum & futurum.

3. 3. Item quandiu sive duratio temporis.

4. 4. HÆC accidunt tempori, alia naturaliter accidunt, ut hyeme, frigora: nocte tenebrę & somnus: die, lux, & operæ humanę: Meridie maximè æstivo, æstus, & feras umbram quęrere.

5. 5. ALIA fato, ut regna, Imperia, insigniores quidam ac mirabiles rerum eventus.

6. 6. ALIA civiliter & ex instituto hominum, ut dies profesti, prophani, messis, vindemia, tempus arandi, serendi, navigandi.

7. 7. IN singulis hominibus quędam accidunt in temporis descriptione adijcienda, ut dies nuptiarum, nativitatis, aut quo aliud quid nobis lætum vel triste accidit.

Locus. Loci descriptionis. QUARTA circumstantia LOCUS. Descriptionis eadem ratio quæ temporis. Describitur aut suis partibus, aut accidentibus. Suis partibus: *1.* Sic est vel Communis locus, regio, provincia, civitas, oppidum, vicus &c. quibus quisq; sit natus, educatus, ubi vixerit, quæ viderit, quibus gesserit aliquid: Item ubi res præsens gesta sit vel similis aliqua. *2.* Proprius locus, ut domus, musæum, villa, prædia &c.

Item alius est Naturalis, ut aqua, terra, aër, rus, sylva, campus, por- 3.
tus, provinciæ, Italia, Germania: Alius Artificialis, ut navis, hortus, 4.
domus, templum, forum &c. Item variæ aliàs sunt differentiæ aut partes loci; locus superus, inferus, ad latus, medius, vicinus, distans, amplus, angustus, humilis, sublimis, maritimus, terrestris, arenosus, aquosus, palustris, montanus, asper, mollis, occultus, perspicuus, lucidus, obscurus, soli expositus aut frigori, temperatus, pestilens, saluber, sterilis, fæcundus, celeber, desertus, sacer, prophanus, publi-
cus, privatus, cultus, neglectus, honestus, infamis. 6. Item ab Incolis 6.
& possessoribus describuntur loci. 7. & quæ in illo nascuntur, accide- 7.
runt, gesta sunt, visa, audita &c.

QUINTA circumstantia MODUS. Videtur quælibet circumstantia facti, quæ speciem constituit, aut mutat; unde est in omnibus prædicamentis: e. g. Percussit, Sed quomodo? Hic responderi solet, non volens, aut iratus, aut pugione obtuso, aut meritum illum & provocantem, & non ita vehementer, aut semel tantum. Itaq; Modus non est peculiaris circumstantia, sed quælibet ex reliquis: sed quæ ità determinet actionem, ut certę sit speciei, vel ut certum inde possit fieri judicium. MAximè sumitur modus ab Accidentibus personę agentis aut patientis. e. g. Si percussit & iratus, aut ignorans aliquam circumstantiam, levior est injuria, si anteà meditans, gravior.

SEXTA circumstantia, CAUSA. Causa est quadruplex: Efficiens, Forma, Materia, Finis. Modi causarum plurimi: Aliæ priores sunt causæ, sive propiores & principaliores: alię posteriores sive remotiores, scilicet priorum istarum genera. 2. Alię causæ sunt per se: Alię ex accidente, e. g. Picturę causa per se est pictor; ex accidenti Apelles, sive hoc subjectum. Accidentium, alia sunt propiora, alia remotiora. e. g. Picturę causa, ex accidente Apelles, remotior homo accidentis prioris genus, Item animal & superiora genera magis remotę. Item si fuerit Apelles luscus vel claudus, & dicam, luscus aut claudus pinxit &c. Sed Oratores duas potissimum considerant causas, actionum & factorũ: finem & efficientem. Finis est, quod quisq; spectavit & cogitavit consequi vel declinare; qui possunt esse plurimi, ijq; vel immediati vel subordinati. Immediatos plurimos dico, qui simul movent, ut si potuit & lucrari honorem, & pecuniam, &

gratiam, & declinare pœnam &c. Subordinatos dico, quorum unus medium est alterius comparandi, si potuit author facti primùm quidem amicum facere isto facto: amico autem conciliato sic speret alia adipisci.

Causæ efficientes septem in universum sunt omnium rerum humanarum, 1. Rhet. c. 10. fortuna, vis, natura, consuetudo, ratio (vel consilium de bono comparando, malo declinando) iracundia, cupiditas. In his magna est differentia, ac varietas. Sed nunc non poterit à nobis explicari.

Generaliter de usu harum circumstantiarum repetenda huc sunt, quæ ad primam circumstantiam diximus, de hujus scilicet usu; quæ ibi vide & ad singulas accommoda. Interim his sic utere ut secundum positam differentiam inquiras quæ in tuo negocio sint causæ, easdemq; exponas.

DE QUARTO.

Vel virtutibus Narrationis.

De Prima virtute, BREVITATE, Aristoteles 3. Rhet. c. 16. ait, hanc ridiculè præcipi, neq; enim semper breviter debere narrari, neq; etiam prolixè; Sed μετρίως καὶ κατὰ τὸ εὖ i. e. quantum sufficit, ut præsens res narrando fiat manifesta & cognita: Seu referenda est Narratio ad finem suum, qui est duplex:

1. Ut intelligatur ipsa res gesta.

2. Ut appareat quod ita res se habeat, aut quod talis sit, qualem volumus, e. g. bona, mala, digna venia, misericordia, laude, item justè factum, injuria &c. aut quod tanta sit, quantam volumus, e. g. tam insigne facinus, adeò audax aut forte. Quæ ad hunc finem nostrum, quem nobis in narrando sumimus, sunt necessaria, omnia erunt afferenda: quæ neq; necessaria, neq; utilia, ea prætereunda: In Politicis narrationibus quædam etiam demonstrationi vel confirmationi & refutationi reservanda sunt: in narrationibus Poëticis & historicis indulgetur plerumq; prolixitati, & plurimis omnia describuntur, etiam non necessaria, jucunditatis & ostentationis causa.

Ratio-

Rationes quædam dilatandæ & iterum contrahendæ narrationis.

Si placeat propter rem aliàs prolixam, aut tędij aut alia quavis de causa brevitate uti narrationis, hæc poterunt observari. *Quomodo breviter narrare possimus.*

1. Quę aliàs accidunt pręsentis negocij partibus aut circumstantijs, sed non faciunt ad rem pręsentem, vel finem nostrę narrationis; prętereantur.
2. Non omnia minutim sunt dividenda, sed summatim exponenda.
3. Quæ ex dictis consecuta esse per se intelliguntur, non adijciantur in orationem. e. g. Si dictum sit: caput illi abscidit, non addendum est, ille tum mortuus est. SIN placeat prolixè narrare, hęc observentur. *Quomodo possimus prolixè narrare.*
1. Contraria superius præceptis de brevitate.
2. Eadem verbis & sententijs alijs atq; allijs narrentur.
3. Assumantur extrinsecus aliena. e. g. Quid simile olim & aliàs sit gestum, vel etiam dissimile: Item quid in nostro desideretur, quid non fecerit, vel quę aliàs hic non sint circumstantiæ.
4. Assumantur causæ, cur singula videantur accidisse, aut dicta esse saltem à nobis: Ubi præmitti solent occupationes, item longa texuntur procœmia & crebra quasi novę orationis initia.
5. Afferantur consilia, deliberationes, sermones ultro citroq; habiti. Quod si hic modus non servetur & non ingenij causa, aut quia necessitas quęstionis aliàs sterilis postulaverit, in hæc digrediamur, facilè dilabimur in garrulitatem.

ALTERA virtus PERSPICUITAS. Hæc omninò maximè est necessaria in Narratione: Quippe cum omnis oratio instituatur causa significandi mentis cogitata. Hoc quam optimè facere erit propria virtus & perfectio orationis. Perspicuitatē hanc assequemur.

1. Si utamur verbis notis, non remotis nimis ab usu communi.
2. Compositione verborum non confusà, transpositâ & divulsâ.
3. In periodis non nimiâ longitudine.
4. In rebus ipsis ordinem servemus temporis.
5. Moneamus auditorem in principio breviter summam proponendo: in medio & conclusione repetitione breviuscula, maxime in

narrationibus prolixis, & è charta recitandis, ubi auditoris memoria poteſt defatigari,

Tertia Virtus PROBABILITAS. Probabilis erit narratio,

1. Si nihil dicatur præter communem hominum opinionem; ſed omnia inter ſe aptè cohæreant.

Vi. progym. 5. & 6. de narratione.

2. Si fuerit oratio morata.

3. Si fuerit affectibus plena.

Quarta Virtus PROPRIETAS VERBORUM. Eſt pars ſecundæ.

EXERCITIUM.

Pugna Goliathi cum Davide.

1. Deſcribatur breviter.

2. Si prolixè velimus narrare exercitij cauſa, inquirantur pręparationis gratia circumſtantię illæ deſcriptæ à nobis, e. g. quæ hic ſint perſonæ, Goliath & David: quæ utriusq; origo: quæ educatio; mores &c. Deinde qualenam Negocium. Item cujus hic Loci, Temporis, Modi aut Cauſæ debeat fieri mentio.

Hac paratâ materiâ narremus: Et deſcribatur.

1. Utriusq; Perſona: Si aliquæ circumſtantiæ in ſacra hiſtoria non extent, fingantur, ſed veriſimiliter, & per conjecturam ex ijs, quæ extant, e. g. de parentibus & majoribus Goliathi dicatur: Fuerunt Ethnici, fortaſſis Philiſtęi: Item patrem fuiſſe oportet eodem robore corporis, & fortaſſis ex familia filiorum Enakim ſive Gygantum, quos Iſraëlitę in occupatione terræ Canaan ferè univerſos deleverunt. Narrari etiam poterunt illę hiſtoriæ de Gygantibus. Item fratres & cognati ipſius fuerunt fortè reliqui Gigantes, quos David jam Rex factus, & milites hujus paſſim leguntur interfeciſſe: & narrentur eæ hiſtorię. Sic educationes utriusq; fingantur conjecturâ.

2. Ipsum Negocium eſt pugna vel duellum, ſcilicet exercitium vel actio fortitudinis: Sed hæc pugna Davidis cum Goliatho erat pars belli Iſraëlitarum cum Philiſtęis. Sic igitur & bellum illud eſt negocium, hic deſcribendum. Poterunt igitur etiam perſonæ huc concurrentes deſcribi: e. g. Saul Rex, Jonathan filius ejus, populus

Iſraëliticus, Principes Philiſtęi & horum populus. Deinde ipſum bellum, quo apparatu, quantis copijs &c. Hic fingantur equites, pedites, inſtrumenta, arma, minæ Philiſtęorum, conſilia, orationes habitę in concilijs ipſorũ. Et quod hic notetur ad ſecundam circumſtantiam: In hujusmodi prolixis negocijs ſolent artifices diſtinguere in reſolutione ipſum negocium in certos actus, ſecundum loci forte diverſitatem, aut temporis aut perſonarum.

Sic igitur primus belli Actus erit: quomodo comitia indixerint Philiſtæi, & bellum ſit decretum adverſus Saulem.

SECUNDUS Actus; quomodo arma capta, egreſſi illi in agrum Iſraëlitarum.

TERTIUS Actus; quomodo Saul contra arma ceperit.

QUARTUS; quomodo uterq; exercitus, caſtris munitis, aliquandiu ibi ſederit propter Monomachiam à Goliatho oblatam.

QUINTUS, Eventus: victi ſunt Philiſtæi, occiſo Goliatho. In iſto bello accidit hæc Monomachia. Quæ iterum poteſt diſtingui in varios actus ut poſſit eò prolixius narrari.

3. TEMPUS Notetur annus mundi. Tempus anni fingatur, forte veris & deſcribatur ab accidentibus naturaliter. Item notetur, quæ tunc imperia & qui Reges floruerint, item ætas Davidis, Saulis, Jonathanis: quo anno aut ſeculo, ab Abrahamo, à Noah, à creatione mundi, ab eductione ex Ægypto, item ante Chriſtum natum res geſta ſit.

4. LOCUS. Deſcribatur terra Iſraelis, terra Philiſtæa, terra Canaan. Item fingatur campus, aut mons, aut alius locus aptus caſtris &c. In medio, collis in quo pugnaverint David & Goliath. Locus artificialis ſic fiat: forte utrinq; egreſſi ſunt exercitus & fecerunt circulum, ut 12. Æneid.

Undiq; enim densâ Teucri inclusêre coronâ,
Atq; hinc vaſta palus, hinc ardua mœnia cingunt.

Item

Utq; dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit,
Defigunt tellure haſtas & ſcuta reclinant.

5. MODUS. Hic fiat contentio quędam inter Davidem & Goliathum.

thum. Hic armatus, ille inermis: Hic vir, ille Juvenis: hic cum hasta & clypeo, ille cum pedo & funda: Hic rudis rei militaris, ille peritissimus: Iterum hic temerè, ille in defensionem patriæ: hic fiduciâ virium, ille fiduciâ divini auxilij &c.

6. Causa. Certabatur de Imperio, Israëlitæ etiam de gloria Dei & religione. Goliathum impellebat gloriæ cupiditas: Davidem zelus defendendæ Patriæ & religionis. Hic poterunt describi instrumenta.

Item David divino quodam motu, & habitu fortitudinis, quanquam magis isto. Miles audaciâ quadam, quod nimis confideret robore suo, quo sæpius erat impunè usus in profligandis hostibus. Voluit Deus sic hostem ulcisci, de blasphemia. Davidem populo Israëlitico commendare &c.

N. Quanquam hoc monendum est: Ordo iste non poterit servari. Materiæ inveniendæ volumus saltem modum monstrare. Quo loco autem ista sint narranda, prudentiæ, & industriæ cujusdam erit cogitare.

Variæ interspergantur sententiæ. Observentur Characteres morum, & affectuum. Sive verba, sermo, gestus, vultus, facta &c. attribuantur personis, quæ occultè notent mores & affectus. e. g. Davidis pietatem, amorem patriæ, commotionem in Philistæum ob contumeliam, animi fortitudinem. Saulis sollicitudinem, benevolentiam erga Davidem &c. Militis illius stoliditatem, profanitatem &c.



PROGYMNASMA TERTIUM ET QVARTUM. Χρεία & Γνώμη.

Textus ὅρος χρείας.

Χρεία ἐστὶν ἀπομνημόνευμα σύντομον, εὐστόχως ἐπί τι πρόσωπον ἀναφέρουσα. χρειώδης δὲ οὖσα, προσαγορεύεται χρεία: τῆς δὲ χρείας, τὸ μὲν ἐστι λογικὸν. τὸ δὲ πρακτικὸν τὸ δὲ μικτὸν. καὶ λογικὸν μὲν τὸ τῷ λόγῳ δηλοῦν τὴν ὠφέλειαν. οἷον, πλάτων τοὺς τῆς ἀρετῆς κλῶνας, ἱδρῶτι καὶ πόνοις ἔλεγε φύεσθαι. πρακτικὸν δὲ τὸ πρᾶξιν σημαῖνον. οἷον πυθαγόρας ἐρωτηθεὶς, πόσος ἂν εἴη τῶν ἀνθρώπων ὁ βίος, βραχύ τι φανεὶς, ἀπεκρύψατο, μέτρον τοῦ βίου τὴν θέαν ποιούμενος. μικτὸν δὲ τὸ ἐξ ἀμφοτέρων, λόγου καὶ πράξεως, οἷον, Διογένης μειράκιον ἑωρακὼς ἀτακτοῦν τὸν παιδαγωγὸν ἔπαισεν, ἐπειπὼν, τί γὰρ τοιαῦτα παιδεύεις. ἡ μὲν οὖν διαίρεσις αὕτη τῆς χρείας. ἐργάσαιο δὲ αὐτὴν, τοῖσδε τοῖς κεφαλαίοις, ἐγκωμιαστικῷ, παραφραστικῷ, τῷ τῆς αἰτίας, ἐκ τοῦ ἐναντίου, παραβολῇ, παραδείγματι, μαρτυρίᾳ παλαιῶν, ἐπιλόγῳ βραχεῖ.

CHRIA est dictum quoddam memorabile breviusculum, aptè attributum personæ alicui tanquam authori. Quia autem χρειώδης i. e. utilis est, inde dicta est χρεία. Alia χρεία est Verbalis, alia Activa, alia Mixta vel composita.

VERBALIS, quando verbis significat author commodam aliquam sententiam, ut Plato solebat dicere: frondes virtutis enasci è sudore & laboribus.

ACTIVA, quando gestu & actione aliquid ejusmodi significatum est, ut Pythagoras interrogatus quam longum esset spacium vitæ humanę, cum paulisper conspiciendum se præbuisset, mox occultavit: Illoq; spectaculo ostendit mensuram vitæ.

MIXTA est, quę utranq; habet, orationem scilicet & actionem. Ut Diogenes, conspecto adolescente improbo, pædagogum verberavit, & ea, inquit, tua disciplina est? Et sic quidem Chria dividitur.

His autem capitibus poterit tractari: Laude, paraphrasi, causâ

vel probatione, contrario, simili, exemplo, testimonio veterum, epilogo brevi.

Ὅρος γνώμης.

Γνώμη ἐστὶ λόγος ἐν ἀποφάνσεσι κεφαλαιώδης, ἐπί τι προτρέπων, ἢ ἀποτρέπων. τῆς δὲ γνώμης, τὸ μέν ἐστι προτρεπτικὸν, τὸ δὲ ἀποτρεπτικὸν, τὸ δὲ ἀποφαντικόν. καὶ τὸ μὲν, ἁπλοῦν, τὸ δὲ συνεζευγμένον. καὶ τὸ μὲν πιθανὸν, τὸ δὲ ἀληθὲς, τὸ δὲ ὑπερβολικόν. καὶ προτρεπτικὸν μὲν, ὡς τό, χρὴ ξεῖνον παρέοντα φιλεῖν, ἐθέλοντα δὲ πέμπειν. ἀποτρεπτικὸν δὲ, ὡς τὸ, οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα. ἀποφαντικὸν δὲ ὡς τὸ, δεῖ δὴ χρημάτων, καὶ ἄνευ τούτων οὐδέν ἐστι γενέσθαι τῶν δεόντων. καὶ ἁπλοῦν μὲν, ὡς τὸ, εἷς οἰωνὸς ἄριστος ἀμύνεσθαι περὶ πάτρης. συνεζευγμένον δὲ, ὡς τὸ οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη, εἷς κοίρανος ἔστω. πιθανὸν δὲ, ὡς τὸ, τοιοῦτος ἐστὶν ἕκαστος οἷσπερ ἥδεται ξυνών. ἀληθές δὲ, ὡς τὸ οὐκ ἔστιν εὑρεῖν βίον ἄλιπον οὐδενί. ὑπερβολικὸν δὲ ὡς τὸ, οὐδὲν ἀκιδνότερον γαῖα τρέφει ἀνδρώποιο. ἡ μὲν οὖν διαίρεσις αὕτη τῆς γνώμης. ἐργάσαιο δ' αὐτὴν τοῖς τῆς χρείας κεφαλαίοις. ἐγκωμιαστικῷ, παραφραστικῷ, τῷ τῆς αἰτίας, ἐκ τοῦ ἐναντίου, παραβολῇ, παραδείγματι, μαρτυρίᾳ παλαιῶν, ἐπιλόγῳ βραχεῖ. διενήνοχε δὲ ἡ χρεία τῆς γνώμης τῷ τὴν μὲν χρείαν εἶναι ποτὲ καὶ πρακτικὴν, τὴν δὲ γνώμην, ἀεὶ λογικήν. καὶ τῷ, τὴν χρείαν δεῖσθαι προσώπου, τὴν δὲ γνώμην, ἀπροσώπως ἐκφέρεσθαι.

GNOME VEL SENTENTIA est propositio quędam summaria vel universalis, adhortans ad aliquid vel dehortans. Aliâ sententiâ exhortamur, aliâ dehortamur, aliâ simpliciter rem aliquam affirmamus. Iterum alia sententia est simplex, alia connexa vel composita. Demum, alia est verisimilis, alia vera, alia hyperbolica.

SENTENTIA quâ adhortamur est. e. g. Hospitem debemus præsentem amplecti & dimittere abire volentem.

SENTENTIA dehortans, v. g. illa Homerica, non decet totam noctem dormire eum qui alios consilio regit. Affirmans: Sanè opus est pecunijs, & absq; his nihil effici potest omnium quibus usus eget. Simplex, Optimum id auspicium est patriam defendere terram.

Connexa Utile multorum non est regnum, unus habeto.

Verisimilis: Talis est quisq;, quales ij quibuscum conversatur.

Vera: Non potest ullum vitæ genus reperiri quod careat molestia.

Hyperbolica: Nil tellus homine imbecillius educat alma. Et sic quidem dividitur Gnome.

Tractatio autem ijsdem constabit capitibus ac Chria: laude, paraphrasi &c.

Differt Chria à Gnome, quod illa alîqua est activa, hęc nulla. Deinde quod illa semper appositum habet certi authoris nomen, hæc non habet.

Commentatio.

Tria docebit author de his Progymnasmatis.

1. Definitionem.
2. Divisiones varias.
3. Tractationem sive Elocutionem sive Descriptionem.

DE PRIMO.

Textus vel verba authoris: Χρεία est ἀπομνημόνευμα σύντομον: Sive dictum quoddam memorabile breviusculum, aptè attributum personæ alicui, tanquam authori. Genus est, dictum &c. id est Sententia vel Propositio elegans de moribus. Est n. χρεία species γνώμης vel sententiæ. Aliàs appellatur Apophthegma. Item Laconicum Apophthegma. Item Symbolum. Ut Reusnerus collegit Imperatorum Symbola. *Definitio χρείας.* *Genus.* *Alia nomina χρείας.*

Differentia additur, qua distinguatur χρεία à genere suo, vel reliquis sententiarum speciebus, aptè attributum personæ alicui, tanquam authori: hoc enim quoties fit, ut sententia aliqua authori attribuatur, vel authoris nomen asscriptum habeat, malunt quadam consuetudine appellare Chrian vel apophthegma, quam sententiam generis nomine. e. g. Si dicam: Omnes sibi malunt rectius quam alteri, erit sententia: sin addatur nomen authoris. e. g. Scitum est illud Terentij: Omnes sibi malũt &c. tunc appellabitur Chria vel Apophthegma. *Differentia.*

Conditio quædam differentiæ. thegma. Addit author noster in hac differentia sive requirit, ut fiat ista dicti ad authorem accommodatio εὐστόχως, id est aptè, appositè, convenienter, sive ut verè sit istius authoris hæc sententia, & digna ipso. e. g. Sit author sapiens & doctus, & aliàs magnus & receptus vulgò, quales sunt Poëtæ, Oratores antiqui, vel sit Princeps, aut aliàs talis, qui facilè suâ authoritate fidem concilier suis istis verbis. Aliàs quidem erit Apophthegma & sententia si rectè concipiatur & vera sit. Sed nihil persuadebit, verum ridebitur tanquam stultitiæ argumentum. e. g. Si quis proferat ipse obscurus aut dicta sua, aut majorum suorum, aut amicorum, aut aliàs hominum obscurorum. Simile est, si quis crebrò alleget in publico Poëtas & Oratores, omninoq; authores recentiores & nostræ ætatis, maximè vulgo ignotos.

Ratio nominis χρείας. Nomen Chriæ author impositum esse vult, quod sit χρειώδης id est utilis.

Definitio sententiæ vel γνώμης.

Γνώμη est Enunciatio. Γνώμη ἐστὶ λόγος ἐν ἀποφάνσεσι κεφαλαιώδης ἐπὶ τὶ προτρέπων ἢ ἀποτρέπων.) vel PROPOSITIO quædam summaria vel universalis adhortans ad aliquid vel dehortans.)

Genus. Genus est Propositio universalis, quod inductione poterit probari. Omnes enim sententiæ vel dicta, sic propriè appellata, sive γνῶμαι sunt universales. e. g. Deus est purâ mente colendus: Parentibus est honor adhibendus. At illæ non sunt sententiæ; David reveritus est Deum: Velim te parentem tuum honorare. Propositio hic propriè intelligitur, ut aliàs, mentis cogitatum. Duplex enim est oratio, λόγος ὁ ἔσω & λόγος ὁ ἔξω Oratio interna & externa. 1. Poster. Analyt. c. 10. partic. 7. Oratio externa sive vox tantum Symbolum est & signum mentis.

Differentia authoris. DIFFERENTIA ab authore nostro sumitur ex usu & fine sententiarum in orationibus. In his enim adhibentur γνῶμαι ad hortandum vel dehortandum. Sic igitur sententia est Propositio universalis, quâ vel hortamur vel dehortamur.

Incommoda. Sed nec propria fortassis est ista definitio nec perspicua. NON propria: quia etiam aliæ Propositiones possunt adhortari & dehortari: quæ non sunt sententiæ. e. g. Physicæ: Mathematicæ &c. si ex

his demonstretur rei præsentis impossibilitas aut facilitas. Non est perspicua propter istam universalitatem, quia nondum sic rectè poterimus sententias ab alijs propositionibus internoscere, per istam differentiam.

Quid quod nec omni sententiæ videatur convenire? quia Multę ornatus, benevolentię & affectuum ingratia afferuntur: Quædam tantum generaliter definiunt, imò plæræq;, quid oporteat fieri, nihil hortantes, vel dehortantes, quod fit accommodatione sententiæ ad singularia.

Aristoteles commodiorem habet differentiam, 2. Rhet. c. 21. ab objecto vel materia, & terminis, è quibus hæ Propositiones conficiuntur: hi sunt res practicæ quas homines agunt, & quæ ab hominibus agi possunt, e. g. de Virtutibus, Felicitate, Vitijs, Exercitio Virtutum & vitiorum, de honoribus, divitijs, infamia, paupertate, fortuna, Amicis, valetudine &c. & omnis generis bonis vel malis, quæ in deliberationem, appetitum ac fugam cadunt. Ab Aristotele appellantur τὰ περὶ ὅσων αἱ πράξεις, καὶ αἱρετὰ ἢ φευκτὰ πρὸς τὸ πράττειν. Quia si quis dicat, Cœlum interibit, aut volvitur: aut septem sunt planetæ, Eclipsis lunæ est interpositio terræ &c. aut simile quid physicum, aut quod non cadit in actionem, non est sententia. *Datur differentia alia ex Aristotele.*

Notetur: Sententia & dictum sunt ambigua, Aliquando generaliter usurpantur pro qualibet Propositione: Aliquando specialiter, ut hoc loco definitæ sunt. Græci etiam distinguunt voce: Illam ἔννοιαν, Hanc γνώμην vocant. *Ambiguitas vocis, Sententiæ.*

DE SECUNDO.

Sive Divisione χρείας & γνώμης.

Alia χρεία est λογική vel verbalis: Alia πρακτική vel activa, sive per actionem exhibita, alia μικτή sive mixta, sive utroq; modo, oratione & gestibus expressa.) Sumta est divisio à modo vel medio significandi sententiam animo conceptam. Ille est duplex: *Divisio prima.*

1. Fit significatio per vocem.
2. Fit nutu & gestibus.

Præterea quædam scripto fit. Sed hæc pictura est sermonis &

factorum, & ſic non eſt diverſum genus à ſuperioribus χρεία ſcripta, quia non exprimit alio modo animi ſenſa.

Hæc diviſio propria eſt Chriæ, quia iſti geſtus ſunt ſingulares & ſemper certi authoris: quare faciunt χρείαν ſi adſint. Accidit in his, ut non ſemper exprimatur ſententia univerſalis, quæ ab oratore ex iſta ſingularitate facti deducenda eſt: jtem dicta authorum certorum aliquando particularia ſunt, itaq; in tractatione & paraphraſi, univerſalia facienda.

Reliquæ diviſiones omnes ſunt communes ſententiæ & χρεία: quia χρεία ſententiæ ſpecies eſt.

Secunda Diviſio.

ALIA ſententia exhortamur: alià dehortamur: alià ſimpliciter rem aliquam affirmamus vel pronunciamus,) Sumta eſt diviſio ab uſu vel poteſtate ſignificandi.

Tertia Diviſio.

ALIA ſententia eſt ſimplex, alia connexa: ſimplex, ut: pulchrum eſt pro patria mori. Compoſita, ut gravis eſt multorum dominatus, unus ſit Rex. Item mortales non debent immortalia cogitare, ſed mortalia. Item ſapientis eſt non ſolum quæ ante pedes modò ſunt videre, Sed etiam quæ futura ſunt proſpicere.) Sumta eſt Diviſio à quantitate, ſive à numero terminorũ. Duo enim termini ſunt omnis Propoſitionis, & ſic etiam ſententiæ, ſubjectum & prædicatum. Simplex igitur ſententia eſt, quæ habet ſaltem duos iſtos terminos, quamvis prolixè deſcriptos. Aliquando terminorum aliquis geminatur, nunc ſubjectum nunc prædicatum, nunc utrumq;. Subjectum, ut Amicis non Inimicis, vel potius quam inimicis danda opera eſt. Prædicatum, ut Amici juvandi non deſerendi ſunt. Utrumq; ut Potius eſt civis unus ſervandus quam mille hoſtes perdendi. In geminatione iſtâ advocantur oppoſita, e. g. Pater, filius, cæcus, videns; Bonus, malus; Videre, non videre, &c. 2. Diverſa ſive quæ differunt vel genere, vel ſpecie, vel numero, e. g. Juvenis, vir, ſenex, mulier, vir, virtus, Temperantia. 3. Similia: jtem Genus vel Totum, jtem quæ alias conveniunt inter ſe vel aliquo accidente.

Quomodo poſſit ſententia geminari.

Quarta diviſio.

ALIA ſententia eſt πιθανή veriſimilis) ubi res plerumq; ità ſe habet vel videtur ſe habere, licet non ſemper, ut Talis eſt quiſq; & ijs moribus, quales ij, cum quibus converſatur. Alia eſt ἀληθής vera)

ſive

ſive verè univerſalis, ut: Plures ſunt incommoditates in vita & dolores, quam commoditates. Alia ὑπερβολική) ubi nimium dicitur, Sive ubi, quæ raró accidunt & in paucis, dicuntur ſemper ſic ſe habere & in omnibus, e. g. Ingenium omnium hominum à labore proclive ad libidinem. Fidelem haud fermè mulieri invenias virum. Nihil homine miſerius. Hæ conveniunt potiſſimum hominibus iratis, & aliàs conquerentibus & dolentibus.

Quinta diviſio.

Quædam ſententiæ ſunt per ſe notę, ſive jam antè, e. g. Sanitas eſt res pulchra, Virtus, pietas, eruditio &c. ſunt ſectandæ. His non libenter utuntur Oratores, aut non nimis frequenter utendum eſt; Ruſtici gaudent & utuntur, ſive homines ſimplices. Quædam ſtatim ut dicuntur, ſi paululum animum attendat auditor, e. g. Nihil eſt quod non malè narrando poſſit depravari. Senecta ipſa eſt morbus. Nullum eſt dictum, quod non dictum ſit prius. Sane ille non eſt dives, qui multas habet pecunias, interim maximè ſollicitus de pluribus acquirendis, ſed cui ſuppetit, quantam ſufficit ad vitam & honeſtam, ſi his contentus vivat. Quædam habent aliquod paradoxon ſive alienum à communibus hominum opinionibus, e. g. Nemo vir prudens vitam aut vitæ diuturnitatem tantoperè deſiderabit. Beatior eſt pauper divite. In His vel proponendus vel ſubjungendus eſt Epilogus ſive probatio & ratio dicti: ſic ex ſententia fiet Enthymema, e. g. Nihil miſerius eſt vitá hominis, vel plus in ætate hominum agenda, illicò adeſt aliquid mali & incommodi, ſi quicquam contigit boni, quis igitur tantopere vitam deſideret? Pauper pro divite beatior eſt: quia ille non habet occaſiones alios defraudandi, inſultandi illis, ſuperbiendi & luxuriandi, indulgendi genio, non tot ac tantis vexatur curis. Non eſt viri prudentis, filios pueros ſapientulos & eruditulos, ſive eleganti doctrina in iſta ætate inſtitutos habere: quia & illis ignaviam, & ſibi apud bonos etiam viros invidiam conciliabit. Commodius eſt absq; viatico itineri ſe committere:

Nam timet inſidias, qui ſe ſcit ferre viator,
Quod timeat, tutum carpit inanis iter.

Sic etiam exempla loco rationis poſſunt adduci, ut audax omnia perpeti Gens humana ruit, per vetitum nefas. Horat. oda 3. lib. 1. ſub-

jungit autem fabulam de Prometheo, qui ausus fuerit Jovi ignem suffurari: De Dædalo, qui ausus fuerit volare: Hercule, qui ad inferos descenderit. Hic aliquando ratio in eandem propositionem cum sententia concluditur: ut, Cum simus mortales, non debemus immortalia cogitare. Hæ appellantur Sententiæ Enthymematicæ, & omnium pulcherrimæ sunt.

Sexta divisio. QUÆDAM verbis simplicibus proponuntur: quædam per Metaphoras & Ænigmata. e. g. Tute hoc intristi, tibi exedendum est. Sic etiam Proverbia tanquam Sententiæ adhiberi possunt. Ita fugias ne præter casum. Item exornantur per varias figuras sententiarum; Interrogationem, Exclamationem Apostrophen. &c. e. g.

Sic omnia fatis,
In pejus ruere & retro sublata referri.
Usq; adeòne mori miserum est?
Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames?

Quam sæpè fortè eveniunt quæ non audeas optare. Avaritia vide quid faciat.

DE TERTIO.

Sive Tractatio sententiarum.

Usus Tractationis. SENTENTIÆ in oratoribus ferè nudę solent proponi, & solę: absq; hac prolixiori tractatione. Sunt enim universales Propositiones practicæ, ideò ex communi vitâ ferè omnibus constat de istarum veritate, nisi quando aliquod habent paradoxon præter communem hominum opinionem dictum: Hic addi solet ratio, & illa plerumq; perbrevis. Veruntamen alicubi opus aut saltem ornamento & dignitati orationis erit, prolixè SENTENTIAM & cum Magnitudine quasi ac pompa posse producere; ut nunc plerumq; à sententijs exordium faciant. Hic proderit nosse modum ornatè & copiosè sententiam proponendi, quod totum videtur esse Elocutionis. Etenim probatione in sententijs aut nulla sæpè, aut saltem non tam prolixa est opus. Ornatus igitur causa & exercendæ Juventutis, ad copiam sermonis inventa est ipsa tractatio.

Numerus capitum Tractationis.

Datâ aliquâ ſententiâ, ſi placeat exponere, hę poſſunt octo percurri & fieri partes. 1. ἐγκώμιον. 2. παράφρασις. 3. Causa vel probatio. 4. Contrarium. 5. Simile. 6. Exemplum. 7. Teſtimonia veterum, ſive aliæ ſententiæ ſimiles. 8. Conclusio.

DE PRIMA PARTE.

Ἐγκώμιον i. e. Exordium à laude & commendatione. Laudantur autem & laudari poſſunt in hujuſmodi exordio,

1. Author ſententiæ, ſi ſit Chria.
2. Item Scriptor iſtius Chriæ.
3. In genere Philoſophi, Poëtæ, Oratores, Hiſtorici, Principes, Græci, &c. ſcilicet cujus ſectæ, aut nationis, aut ordinis ſit author ille Chriæ.
4. Ipſæ ſententiæ in genere, e. g. Quod ſint utiliſſimæ, ſint plenæ ſapientiæ, facile intelligantur, retineantur, in uſum adhibeantur, ſint communis vitæ norma ac regula, ſint jucundæ, valde delectent, ac moveant &c.
5. Præſens iſta Sententia aut Chria e.g. Quod ſit præ reliquis maximè utilis, ſapienter dicta, jucunda &c. Præterea valde commoda pręſentibus temporibus, locis, perſonis &c. maximè neceſſaria. Ex his locis Encomium vel Exordium deſcribere licet vel omnibus, vel uno atq; altero.

DE SECUNDA PARTE:

παραφράσει.

In hac primùm ponitur Sententia vel Chria: Deinde brevi deſcriptione exponitur. Si alius eſt authoris, aut ſaltem è communi vita & vulgi ore aut proverbijs uſurpata, nihil debet mutari, ut facilius cognoſcatur & concedatur. Aliàs, ſi ipſi ex communibus hominum opinionibus aliquid finxerimus, poterit ſecundum varias iſtas dictas diviſiones ornari & variè proponi. In παραφράσει vel expoſitione ſive declaratione debet alijs & pluribus verbis & magis perſpicuè mens authoris deſcribi. Præſertim ſi ſententia ſit conciſior aut ænigmatica, e. g. In cœlũ ne exſpuito. Ex prolixiori illa deſcriptione vel Paraphraſi poterunt deinceps facilius ſumi contraria, ſimilia &c.

DE TERTIA PARTE.

Causa vel Probatio, qua fit verisimilis sententia.

Hæc ut plurimum fit Inductione. Nam sententiæ sunt Propositiones universales: quare difficulter à superiori sive per magis universales Propositiones, & sic Syllogismo aut Enthymemate probari poterunt: quemadmodum & principia disciplinarum sive universales Propositiones aliquæ: quæ item inductione probatur, e.g. Sit sententia: Eruditionis radices amaræ sunt, fructus verò dulces, i. e. acquiritur eruditio multis insuavibus & ingratissimis laboribus: Sed molestię istę insignibus compensantur commodis ex eruditione promanantibus. Hic causæ vel probationis loco fiat inductio, i. e. enumerentur labores illi & molestiæ in acquirenda eruditione. Deinde fructus & commoda eruditionis acquisitæ. Item sit sententia: Usq; adeone mori miserum est, i. e. In morte nihil est miseriarum aut non adeò multum, ut propterea vir prudens aut fortis mortem magnoperè fugiat: Imò mors à plurimis vitæ incommodis liberat. Hic in probatione fiat Inductio vel Enumeratio. 1. Commodorum quibus per mortem privemur & illa extenuentur. 2. Incommodorum, quæ mors videtur afferre, & hæc item extenuentur. Aliquando tamen etiam Enthymemata adhiberi poterunt, ad probandam sententiam item exempla.

DE QUARTA PARTE.

Contrarium, i. e. Oppositum. Oppositio autem duplex est. 1. Materiæ, 2. Formæ. Ratione formæ dicuntur oppositæ, Affirmatio & Negatio ejusdem prædicati de eodem subjecto, e. g. Si superiori Hesiodi dicto opponant: eruditionis neq; radices sunt amaræ, neq; fructus dulces.

Huius oppositionis hîc non est usus. Quia propositiones ratione formæ oppositæ non nisi ambæ particulares possunt simul verę esse. Contrariarum autem hoc debet æquè verum esse, atq; ipsa sententia. Alias istius non esset verus usus. Ratione materiæ dicitur Oppositio: Quando Terminorum aliqui sunt oppositi: præsertim contradicentes aut contrarij. Contrarij, ut eruditio, imperitia. Contradicentes, laborare, non laborare.

Hos terminos oppoſitos licebit ſumere ex Paraphraſi, ſed ſunt concipiendi κατ' ἀκολουθίαν, vel ut ſit quaſi conſequentia quædam inter ſententiam & contrarium, e. g. Eruditionis radices ſunt amarę, fructus dulces: Senſus eſt, Eruditio comparatur multis laboribus; comparata autem ingentem ſecum affert utilitatem. Contrarium erit: Imperitia rerum, delitias atq; ocium conſequitur, & contracta magnas ſecum affert incommoditates. Item qui non laborabit, ſed fugiet labores & moleſtias, illum etiam fugient fructus laborum, vel non ſentiet ille eruditionis commoditatem.

QUINTA PARS: SIMILE.

SIMILIA dicuntur quæcunq; conveniunt in aliquo prædicato, vel de quibus unum atq; idem prædicatum poteſt vel affirmari vel negari, e. g. Homo & equus ſunt ſimiles, quia uterq; eſt animal. Item uterq; eſt ad militiam aptus. Item animos gerit magnos. Item non metuit facile. In his illa maximè placent, quæ toto genere e. g. prædicamentis differunt, conveniunt tamen in quibuſdã accidentibus: & quæ pluribus conveniunt accidentibus, gratiora ſunt. IN ſimili ſunt partes duæ: Una eſt quaſi Concluſio: altera quaſi demonſtratio. *Similitudinis duæ partes.*

CONCLUSIO eſt e. g. Si ſic dicam: quod fit in agro colendo, idem etiam in ingenij atq; animorum cultura accidit. Aut ſic: Ingenium & animus humanus veluti ager quidam eſt, & ratio illius excolendi agriculturæ quodammodo ſimilis eſt. Aut ſic: Commodè videtur ratio Inſtitutionis & ſtudiorum humanorum cum agricultura comparari poſſe &c. *Concluſio.*

DEMONSTRATIONEM voco eam partem, quando inducuntur aut afferuntur ea, quæ ſimiliter inſunt iſtis rebus, quæ dictę erant ſimiles eſſe. e. g. Agrum multò antè & benè quidem ſubigi oportet, quam ſemina committas: ſic ingenium præparari diligenti inſtitutione oportet, antequam ſublimioris ſapientiæ ſtudio adhibeatur. Iterum ager multis modis aratur, ſtercoratur, ſcinditur, finditur, foditur, calcatur, occatur, ſic demum parebunt avido arva colono: Ita qui expectatos eruditionis fructꝰ ſolidos atq; uberes ab ingenio exigit, nullius hunc culturæ, nullius laboris, nullius moleſtiæ tædere oportet. POTEST geminari ſimilitudo: *& Demonſtratio.*

1. Si eidem sententiæ plura accommodentur similia. e. g. Si dicas in arboribns colendis, item feris bestijs cicurandis &c.

2. Si contrarium contrario applicetur. e. g. Si non ares, fodias, seras, etiam frustra messem expectabis, Sed magnum alterius frustra spectabis acervum, concussaq; famem in sylvis solabere quercu, scilicet, nisi assiduis terram insectabere rastris &c. Idem nunc de Negligentia in ingenio colendo metuendum est ignavis; scilicet ne frustra in ætate adulta proventum ac fructum quendam ingenij expectent, Imò pessimam intelligentiæ atq; optimorum morum sensuri sunt quasi cujusdam annonæ difficultatem ac caritatem.

1. Georg.

SEXTA PARS: EXEMPLUM.

Quid sit, supra dictũ progym primo.

Quomodo conveniẽtia exempla deligantur.

Aliud est fictum, Aliud verum &c. vide supra. Ut convenientia eligantur, observetur, ut in exemplo sit idem terminus Major & Minor, qui sunt in sententia: vel saltem in Narratione Exempli exprimantur & addantur. e. g. Ad Hesiodi sententiam eligentur exempla, quibus narretur, quomodo viri eruditi, Demosthenes, Virgilius &c. pertulerint multas molestias propter eruditionem comparandam: & quomodo ijdem per eruditionem ad magnos honores & multas possessiones devenerint: quòd Regibus & alijs viris magnis fuerint charissimi; non vulgo tantum, sed etiam doctis, sed principibus etiam, neq; sui temporis tantum hominibus, sed omni posteritati fuerint admirationi. Et hoc debet per historias probari: Et historiæ illæ debent ad probationis, Inductionis scilicet superioris illius, capita accommodari. Addatur in fine repetitio brevis, & collectio quasi in summam, quæ contineat ipsam sententiam, sed alia sententiæ figurâ, fortassis per Exclamationem, e. g. ad enumerationem laborum subijciatur: Videte. Vel, Tanta commoda emergunt: Vel, Deus bone quanta? vel, ecquis crederet, nisi istorum exempla docerent.

Quàm variè possint adhiberi exempla.

Notetur. Possunt exempla adduci plurima ejusdem generis, sive, quæ omnia eosdem habeant terminos, Majorem & Minorem, eosdem & inter se, & cum sententia, e. g. Sit sententia Hesiodi: Eruditio acquiritur multo labore, acquisita magnos parit fructus, vel affert utilitates magnas. Minor terminus est eruditio, vel, erudi-

tum & doctum esse. MAJOR terminus, acquiri labore, jtem, fructus & utilitates affert magnas. Exempla igitur erunt huic sententiæ accommoda, Demosthenes, Plautus, Diogenes &c. SIC poterunt tractari. Demosthenes fuit vir doctus, & constitit huic ista doctrina multo labore, ut interrogatus aliquando, quomodo & quo compendio tantam sibi eloquentiam comparasset, dicatur respondisse: plus olei quam vini absumendo, i. e. se plus absumsisse olei in lucerna, in lucubrationibus nocturnis, quàm vini, voluptatis & animi causa. Cepit verò istius eruditionis: Imò laborum & molestiarum fructus amplissimos. Enumerentur illi fructus &c. Idem de Plauto, Diogene, & reliquis viris doctis dici poterit &c.

2. HÆC possunt vel singula prolixè enarrari, sive singulorum labores & fructus describi, vel unum saltem atq; alterum; Reliqua simplici nominatione, quasi per præteritionem comprehendi breviuscule. e. g. Non dicam nunc de Cicerone, Virgilio &c. Possem jtem hic narrare de Pompejo, Cæsare &c. qui quanti quanti fuerunt, magnam ejus excellentiæ partem literis debent, nominis autem celebritatem totam: Nisi enim literæ fuissent sive historiæ & viri docti; Nomina ipsorum unà cum corporibus eâdem condita fuissent urnâ: Sed eruditionem istam non per ocium & delicias, sed magnis, Deus bone, molestijs, & multâ industriâ obtinuerunt.

3. POSSUNT etiam exempla adduci contrarij, vel oppositę sententiæ. e. g. RHEHABOAM, filius Salomonis, fuit educatus in delicijs illis regijs, in aulâ Salomonis Parentis magnificentissimâ, & habitus fuit mollissimè. Pater quidem pro sua sapientia adhibuit filio doctissimos quosq; & fidelissimos Præceptores: sed pro eo, qui est parentum, aliàs prudentum etiam, erga sobolem nimius, sæpè cæcus & stultus amor, noluit nimis duriter aut severè haberi filium suum, regni successorem. Abducebatur præterea discipulus regius adulationibus aulicorum à studijs & obedientia Pręceptorum: Multę dabantur occasiones venandi, equitandi, spectacula videndi, deambulandi &c. Illo ocio delectatus & à literis abstractus Rhehabeam cum Patri succederet, stultissimo responso animos decem tribuum à se alienavit, ut hæ, electo alio Rege, obedientiam denegarent Rhehabeamo, & vix Rehabeam duas tribus regendas retinuerit. Hanc imperitiam ex

ocio & delicijs regijs contraxit Rehabeam: Imperitia autem eam peperit Regi calamitatem.

SEPTIMA PARS.

Testimonia veterum, i. e. aliæ ſententiæ ejuſdem aut ſimilis ſenſus. Poſſunt hęc connecti cum proximis ſuperioribus exemplis. e. g. Quæ cum ita ſe habeant, ut in ſuperioribus narratum eſt, prudenter videtur dictum eſſe in litera Pythagoræ, quiſquis illius carminis author eſt:

Quiſquis enim duros caſus virtutis amore
Vicerit, ille ſibi laudemq; decusq; parabit.

Vel poſſunt etiam ad ſententiam principalem accommodari. e. g. Iſti Heſiodi dicto ſimile eſt nec minus elegans illud in carmine quodam, literam Pythagoræ vocant, Quiſquis enim duros &c. Et illud Virgilij, Labor omnia vincit improbus. Item contrario ſimilis ſententia adduci poterit, ut in eodem carmine:

At qui deſidiam, luxumq; ſequetur inertem,
Dum fugit oppoſitos incautâ mente labores,
Turpis inopsq; ſimul miſerabile tranſiget ævum.

OCTAVA PARS: CONCLUSIO.

Conclusio vel Peroratio pro libitu variè poterit confici. Author noſter hic repetit laudes Authoris in Exordio dictas.

Possunt tamen etiam hic alia dici. 1. Laudes hujus ſententię præſentis, aut ſententiæ in genere, Intelligitis igitur, non temerè dixiſſe me quam plurimæ utilitatis in vita eſſe ſententiam iſtam, & maximè neceſſariam &c. Vel ſic: Patet ex dictis, quanta ſit ſuavitas, & quantum pondus ac vis prudentiæ in brevibus illis ſententijs, quam latè & ad quam multas res illa verborum paucitas ſe extendat.

2. Potest etiam adhortatio vel dehortatio ſubjungi ad pręſentes auditores, ſi ſententia fuerit ἀποφαντική. e. g. Quis igitur non fugiat ocia, peſtem nocentiſſimam eruditionis, imò omnium in vita commodorum: labores verò & moleſtias in vita obrepentes vel ſexcentas tantas quis adeò mollis aut ignavus, aut ſtolidus, fugiat aut detrectet? maximè ſi cogitet, tam uberrimos, ampliſſimos, jucundiſſimos eruditionis fructus? &c.

3. POSSUNT etiam quædam repeti ex superioribus loco conclusionis. e.g. Hos igitur, ac tantos fructus parit eruditio. (qui possunt brevi enumeratione repeti.) Sed radices amaræ sunt, dicebat Hesiodus, id est, multo sudore ac labore constat &c..

4. POTEST aliud quoddam vel simile vel exemplum vel sententiâ &c. subjungi.

SENTENTIÆ
Septem Sapientum.

Solonis:	τέλος ὁρᾶν δεῖ.
Chilonis:	γνῶθι σεαυτόν.
Cleobuli:	μηδὲν ἄγαν.
Thaletis:	ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη.
Biantis:	οἱ πλεῖσς κακοί.
Pittaci:	γίγνωσκε καιρόν.
Periandri:	μελέτη τὸ πᾶν.

EXEMPLUM TRACTATÆ SENTENTIÆ EX VALERIO MAXIMO lib. 7. cap. 2. historiâ externâ nonâ.

Εγκώμιον) Omnis humanæ sapientiæ author non immeritò prædicari videtur à Scaligero Aristotéles: non tam quod tanti viri, Scaligeri dico, testimonium gravissimum sit, qnàm quod idem loquatur etiam ac persuadeat res ipsa. Literarum enim Philosophicarum quid nunc habemus præter Aristotelicas? *1. Laudes Authoris.*

Philosophiam vero ac studium hujus ac cognitionem si è mundo sustuleris, quid? num non ipsum solem videberis sustulisse? Cum hæc in omni vita, moribus, consilijs clarissimam facem ac lumen præferat; sine ista autem mera barbaries, honestatis confusio & perturbatio morum bonorum, ac legum abrogatio, ignorantia pessima regnent. Cujus rei exemplum poterunt esse, ut è nostra saltem ætate petamus, novus orbis inventus, & hujus incolæ. Præterea Turcicum regnum, ubi literarum contemtus vastissimus: sed etiam barbaries, ignorantia, turpitudo morum, reperiuntur. *2. Laudes ipsius generis & 1. quidem Philosophorum vel Philosophiæ.*

Habuit Græcia quàm plurimos Philoſophiæ laudibus excellentiſſimos viros, imò Muſæ ipſæ, ſive omnis ingenuarum literarum eruditio, apud iſtos primum natæ, & hinc in univerſum terrarum orbem, quaſi in colonias, videntur emiſſæ eſſe. In illis ſunt Plato, Socrates, Diogenes, Zeno, Solon, Lycurgus, Thales, & quicquid præterea eſt virorum à ſapientia celeberrimorum; ut non tantum ſeptem habuerit Græcia ſapientes, quanquam hos, cum fortè viverent ætate eâdem, maximè ab inſigni ſapientiâ commendatos, ſed ingentem quandam virorum ſapientum ſegetem ac meſſem.

Laudes 3. generis: Philoſophiæ Peripateticæ, fuit enim Peripateticus, & author hujus ſectæ fuit.

Hi cum in diverſas abirent ac dividerentur ſectas, omnium ætatum ac ſeculorum jam plurium judicio, reliquis celebrior habita eſt Peripateticorum ſchola, cujus Author primus Ariſtoteles. Et dicti iſti ſunt Peripatetici vel inambulatores, quod moris ipſis eſſet inter ambulandum ſermones Philoſophicos conferre. Sectabantur hi opiniones & dogmata Ariſtotelis ſui; quod etiamnũ faciunt ferè omnes noſtræ ætatis Philoſophi. Cum enim reliquarum ſectarum ſententiæ ſæpè à pietate, ſæpè à communibus hominum opinionibus, imò ipſo ſenſu communi ſint quàm alieniſſimæ, in Ariſtotelis Philoſophia aut nihil aut parum ejus generis obſervari poſſe putant. Sed longius digredior, non enim nunc de Ariſtotele dicere mihi animus eſt, ſed de quadam hujus ſententia, venuſtiſſimâ ſane, quæ extat in Valerio Maximo lib. 7. cap. 2.

3. Laudes: ſcriptoris.

Non opus erit hic vos monere, credo, quis ſit ille Valerius Maximus, qui in omnium manibus verſatur, vel debebat ſaltem verſari, & quidem nocturnâ diurnâ: author, Deus bone, non nomine tantũ, neq; etiam genere & ingenio; ſed ſcriptis & opere illo hiſtorico verè maximus. Civis fuit Romanus Valerius Maximus, & quidem Patricio natus genere: Paterno, è familia Valeria; Materno è Fabia, unde Maximi cognomen traxit. Omnem pueritiam & ipſam adeò adoleſcentiam literis percipiendis & honeſtis artibus dedit &c. Videatur vita Val. Max. in præfatione libri ipſius.

4. Laudes: generis, hiſtorici vel hiſtoriæ.

Cum jam virili ætate ingenij aliquam maturitatem conſecutus publicâ quâdam operâ Reipub. inſervire conſtituiſſet, animum ad ſcribendam hiſtoriam appulit. Nec poterat rectius eam divini ingenij indolem ac vim maximam collocaſſe Valerius Maximus. Non, ſi

arma

arma ac militiam secutus, forte exercitum in hostes aliquos duxisset, si eò licuisset aspirare: Primũ enim incertus semper Martis eventus: Et si vincere datum fuisset atq; occidere vel centum millia hostium; & uno saltem isto tempore, & uni Romanor. Reip. profuisset, & fortè invidiâ odium alicujus improbi hominis conciliante, conficto alicunde crimine, in exilium aliquò fuisset exturbatus. Nunc verò tot seculis & universo humano generi ferè prodest & ab omnibus doctis amatur ac colitur. Non rectius collocasset studia in oratoriam facultatem: non in Philosophiam: non in Juris cognitionem: non in Poësin &c. Subjungatur singulis causa: Historiæ enim vitæ magistra rectè appellatæ sunt à Cicerone, quod in omni vita ab alijs exemplum capere ex historijs possimus, quod ex nostro usu sit.

Habet hoc singulare Valerius Maximus, quod sententias & elegantes & graves subnectat singulis ferè historijs: HISTORIAS aptissimè narrat ut sponte suâ inde sententiæ fluxisse videantur. Sententias verò ita concinnè subjungit, ut non nisi Valerius Maximus, sive maximi judicij, præclarę eloquentiæ vir, adeò concinnas dicere potuerit. *4. Laudes sententiar. Valerij Maximi.*

Non dicam nunc de insigni utilitate hujusmodi breviuscularum sententiarum, non de suavitate earundem, non de maxima in vita necessitate &c. *Laudes sententiarum in genere.*

Saltem ea, quam mihi nunc considerandam sumpsi, si paululum vobis animum attendere libeat, satis persuadere poterit eam, quam dixi, utilitatem, suavitatem ac necessitatem sententiarum, tùm quantam prudentiæ politicæ copiam istâ quasi thecâ & verborum compendio concludere voluerit author Aristoteles: ut non immeritò Valerius Maximus eam dignam judicarit, quæ historiæ suæ monumentis inserta memoriæ æternitati à se consecraretur. *5. Laudes sententiæ præsentis.*

Παράφρασις) Aristoteles, ut refert Valerius, de semetipso neminem in neutram partem loqui debere prædicabat, quoniam laudare se vani; vituperare stulti esset. Prudenter sanè. Hoc enim voluit dicere vir sapiens. ADDATUR circumscriptio. *Secunda pars.*

PROBATIO.) Fiat Inductio vel enumeratio:

I. MODORUM, quibus aliquis seipsum prędicare potest. e.g. Suam eruditionem multi in more habent ostentare & prædicare: Alij pul- *Tertia pars.*

chritudinem, alij divitias, alij honores, alij res geſtas, alij viſas & peragratas regiones, alij aliud quid, ſinguli ea quibus videntur reliquis præcellere. Item alij hoc faciunt non niſi ebrij, alij homines vani etiam ſobrij. Alij non niſi apud eos, apud quos in authoritate ſunt, & ſic apud quos ipſos nullius turpitudinis facilè pudet: Alij impudentiores etiam apud peregrinos & quoslibet. Item: Juvenes delectantur iſtâ ſuarum laudum prædicatione, quod eſt argumentum ſtultam eſſe ejusmodi prædicationem, propter inopiam in iſta ætate judicij. Item ſenes ſæpè videas uſurpare proprias laudes, maximè deliros. Præterea milites, agricolæ, vulgus, plebs, & omnis turba ineruditorum atque imperitorum utuntur iſtâ propriarum laudum vanâ oblectatione.

II. Inducatur vel enumeretur quot modis hoc turpè ſit. 1. eſt vanum, i. e. hominis mendacis. Teſtatur enim experientia, quòd qui ſemper ſua narrant facinora, & prædicant laudes plerumq; aliquid admentiantur, aut ſi non faciunt tamen ſuſpicione ea non carent: Bonus vir autem non tantum à turpibus factis, verùm etiam ſuſpicione omni alienus eſſe debet. 2. Eſt contra verecundiam, vel eſt impudentiæ. Honeſti enim animi eſt, ſi in os & præſenti ab alijs tuas laudes dictas audias, pudere, & ejus verecundiæ ſignum faciei ruborem oſtendere: at iſte impudens ſuijpſius prædicator etiam ipſe ſuarum laudum author & præco eſt. 3. Eſt nimis ambitioſum. Vir prudens enim non undecunq; & à quibuscunq; & quemvis honorem admittit, & quovis loco; ſed ubi gravitas quædam & in conferente, & in occaſione teſtimonij illius affuerit. Multò minus ipſe ſibi honores habebit. 4. Eſt contra humanitatem: Quia humanitatis eſt in omni converſatione delectare convictores: Jam nihil moleſtius eſt illis narrationibus propriarum virtutum. 5. Eſt contra Juſticiam: Quia laudes & honor ab alijs expectari, non ipſis à nobis tribui debent. 6. Eſt ridiculum vel hominis ineptè urbani.

III. Inductio.) Inducatur ſive enumeretur, quot modis fiat ut homines de ſe malè loquantur. Alij conqueruntur de ſua paupertate; Alij de deformitate; Alij de obſcuritate generis; Alij de Parentibus duris; Alij de Imperitia ſua; Alij de varijs vicijs, timiditate, avaritiâ &c; Alij de ignorantia eruditionis, Philoſophiæ, linguarum &c;

Alij de difficultate ingenij, memoriæ &c; Alij hoc faciunt malâ quadam institutione, quia non sunt aliter edocti; Alij præ φιλαυτία & nimia gloriæ & laudum suarum cupiditate: Putant enim sic se modestos visum iri, & contrarium debere intelligi ab auditoribus; Et sic bis stulti sunt &c.

IV. INDUCTIO.) Enumeretur quot modis hoc turpe vel stultum sit, sua ipsum prodere vicia, & sibi ipsi dicere convicia. 1. Est contra urbanitatem. 2. contra Justiciam. 3. Est contra humanitatem. 4. Est contra candorem. 5. Est imprudentia &c.

CONTRARIUM.) Opposita sententia erit tacere de seipso; sui nullam facere mentionem; loqui de rebus potius, quàm de personis: hoc laudabile est, viri boni & prudentis. Item aliquando, quando necessitas fert, propriæ laudes sunt dicendæ, & dicuntur etiam à viris bonis: Sed hoc ità rarum est, ita periculosum, ut urere & secare in medicina facienda, i. e. fit calumniæ depellendæ causâ, & suæ defendendæ innocentiæ atq; existimationis. *Quarta pars.*

Hic iterum altera poterit institui Inductio, probationis loco, & poterunt enumerari:

1. Res, de quibus honestum est & convenit loqui & sermones conferre, publicè & privatim, in conversationibus serijs & jucundis.
2. Enumerentur virtutes vel partes honestatis, sive quot modis honestum sit, de pijs, honestis, & in omni vita utilibus rebus sermones conferre.
3. Enumerentur casus vel occasiones, quibus liceat seipsum laudare.
4. Enumerentur cautelæ, quas oporteat observare in proprijs laudibus.

SIMILE.) Qui sic prædicant se, similes sunt vino recenti in vase concluso, quod nequit continere se, quin erumpat propter admistam fecem, de qua si fuerit purgatum, jam mitius fit: Ita stultitiæ admistę cum eruditione, pulchritudine, virtute, & reliquis quæ de seipso quis prædicat, certissimum argumentum est ista sui ipsius prædicatio; Illam si expellere ex animo datur, (quod fit in juvenibus, liberari Institutione, & experientia longiuscula,) paulatim etiam sui prædicandi exuetur libido. Alteri, qui sibi ipsis convicia dicunt, ut modesti vide- *Quinta pars.*

antur,

antur, videntur ſimile quid facere pueris infantibus, qui alicujus ſibi culpę conſcij prius defendendo ſe, quàm accuſentur, produnt commiſſa, quæ aliàs fortaſſis latuiſſent. Item avium pullis. Ut enim iſti, naturâ invitante, ſtercora, in corpuſculo moleſta, egerunt ſalubriter quidem, ſed ineptè dum in nidum reponunt, quo ipſi foventur, & ſic ſuo ipſi ſtercore maculantur: Ita noſtri illi rectè quidem & ſalubriter vicia & calamitatem, & defectus ſuos reliquos agnoſcunt, ſed ſtolidè hoc faciunt non ſuo loco, apud alios & ſermone quidem prædicantes, unde alijs moleſtiam, ſibijpſis ſtulticiæ ſuſpicionem atq; adeò opinionem affricant.

Sexta pars. EXEMPLA.) Exempla poſſunt afferri alia Ficta, alia Vera. Item poſſunt ſic diſtribui, ut Alia univerſam ſententiam; Alia aliquam vel ſingulas ſententiæ partes contineant. e. g. Aliæ hiſtoriæ vel fabulæ narrent, quod hic vel ille malè de ſeipſo ſit locutus, & propterea repræhenſus: Aliæ, quòd alius de ſe benè ſit locutus, & hoc vitio ipſi datum ſit. Item ſic diſtribuantur exempla, ſcilicet ſecundum partes inductionis, ut afferantur, in quibus quidam eruditionem: & alia, ubi divitias: alia ubi honores prædicaverint. Item ad oppoſitum, vel contrarium adjungenda ſunt exempla.

Septima pars. TESTIMONIA Veterum. Varia hic poſſunt congeri, ſcilicet quæcunq; non tantum cum ipſa ſententia principali, vel tota hujus parte, ſed etiam cum Inductionis aliqua parte, jtem cum contrario conſentiunt.

Octava pars. CONCLUSIO. Poteſt variè inſtitui: Inſpiciatur commentarius.



PROGYMNASMA QVINTUM ET SEXTUM.

CONFVTATIO ET CONFIRMATIO.

Textus. ὅρος ἀνασκευῆς.

Ἀνασκευή ἐστιν ἀνατροπὴ προκειμένου τινὸς πράγματος. ἀνασκευαστέον δὲ τὰ μήτε λίαν σαφῆ, μήτε ἀδύνατα παντελῶς, ἀλλὰ ὅσα μέσην ἔχει τάξιν. δεῖ δὲ ἀνασκευάζοντας, πρῶτον μὲν εἰπεῖν τὴν τῶν φησάντων διαβολήν. εἶτα ἐπιθεῖναι τὴν τοῦ πράγματος ἔκθεσιν, καὶ κεφαλαίοις χρήσασθαι τοῖσδε: πρῶτον μὲν ἀσαφεῖ, καὶ ἀπιθάνῳ, πρὸς τούτῳ καὶ ἀδυνάτῳ, καὶ ἀνακολούθῳ καὶ ἀπρεπεῖ. τελευταῖον ἐπενεγκεῖν τὸ ἀσύμφορον. τὸ δὲ προγύμνασμα τοῦτο πᾶσαν ἐν ἑαυτῷ περιέχει τὴν τῆς τέχνης ἰσχύν.

Confutatio est eversio propositi cujuscunq; negotij. Sunt autem confutanda quæ neq; nimis evidentia, neq; planè impossibilia sunt, sed mediæ quasi naturæ: Oportet autem confutationem scripturos PRIMO loco ponere repræhensionem adversarij. DEINDE subjungere expositionem. POST uti his capitibus: obscuro, nonverisimili, item impossibili, inconsequente, indecoro, & demum inutili. Hoc autem progymnasma omne complectitur artis hujus robur: vel in confutatione potissima vis sita est orationis.

Ὅρος κατασκευῆς.

Κατασκευή ἐστι, προκειμένου τινὸς βεβαίωσις πράγματος. κατασκευαστέον δὲ τὰ μήτε λίαν σαφῆ, μήτε ἀδύνατα παντελῶς ἀλλ' ὅσα μέσην ἔχει τὴν τάξιν. δεῖ δὲ κατασκευάζοντας, τοῖς ἐναντίοις χρῆσθαι τῆς ἀνασκευῆς, καὶ πρῶτον μὲν εἰπεῖν εὐφημίαν τοῦ φήσαντος, εἶτα ἐν μέρει θεῖναι τὴν ἔκθεσιν, καὶ τοῖς ἐναντίοις χρήσασθαι κεφαλαίοις: ἀντὶ μὲν ἀσαφοῦς, τῷ σαφεῖ: ἀντὶ δὲ ἀπιθάνου τῷ πιθανῷ: καὶ δυνατῷ, ἀντὶ ἀδυνάτου. καὶ ἀκολούθῳ, ἀντὶ ἀνακολούθου. τῷ δὲ πρέποντι, ἀντὶ τοῦ ἀπρεποῦς: καὶ συμφέροντι, ἀντὶ τοῦ ἀσυμφόρου: ἡ γυμνασία δὲ αὕτη πᾶσαν περιέχει τὴν τῆς τέχνης ἰσχύν.

Confirmatio est propositi cujusq; negotij probatio. Confirmanda autẽ sunt quæ neq; nimis manifesta, neq; planè impossibilia sunt, sed mediæ quodammodo naturæ. Oportet autem Confirmationem confecturos uti contrarijs atq; in Confutatione, nempe ut primo loco ponat commendationem authoris. DEINDE subjungat expositionem singularium factorum DEMUM utatur capitibus vel Locis probationis contrarijs: ut perspicuo pro obscuro: verisimili pro non verisimili: pro impossibili, possibili: pro inconseqnente, consequente, pro indecoro, decoro: & deniq; utili pro inutili. Et hæc pars exercitiorum præsentium potissima est & maximè efficax in hoc genere.

Commentatio.

De his progymnasmatis tria habet Author:

1. Definitionem.
2. Objectum vel materiam, vel quibus rebus Confutatio & Confirmatio adhibeantur.
3. Tractationem.

DE PRIMO.

Definitio Confutationis. Genus.

CONFUTATIO est eversio Propositi vel dati negocij) Genus est Eversio sive Elenchus seu Oppositio. Elenchus autem est Syllogismus cum Contradictione Conclusionis, 1. Sophist. elench. cap. 1. i. e. duas concludens Propositiones contradicentes; Unam directè, immediatè, & vi Syllogismi veram: ALTERAM istius oppositam vel contrariam vel contradicentem falsam ex hypothesi illa universali: Si contradicentium & contrariorum altera vera est, altera necessariò est falsa. e. g. Sit thesis aut proposita res aut quæstio: honor est summum bonum: Confutatio erit, vel oppositio & elenchus:

Summum bonum expetitur per se
Honor non expetitur per se.
E. honor non est summum bonum.

Consequenter falsum est quod honor sit summum bonum; Sed hæc altera Contradictionis pars non semper adjungitur, quia est expressa in thesi, neq; ad priorem partem opponitur, verum est, ad posteriorem, falsum est, quia per se intelligitur, Consequentia jtem est manifesta. Sic differentia elenchi est contradictio conclusionis, sive

gemina

gemina probatio: Prima immediata sententiæ nostræ. Secunda per consequentiam & mediata, sed principalis: quia evertendæ istius sententiæ adversarij & nobis contradicentis causâ instituitur elenchus vel confutatio. DIFFERENTIA Confutationis Oratoriæ est subjectum operationis sive materies, undè construuntur omnes probationes oratoriæ, scilicet πρᾶγμά τι προκείμενον, negocium sive res practica cadens in actionem, electionem & fugam, idq; quodlibet, sive in genere atq; universum. *Differentia*

Κατασκευή ἐστι προκειμένου τινὸς βεβαίωσις πράγματος sive propositi cujuscunq; negocij probatio) Genus est βεβαίωσις probatio, sive ἀπόδειξις demonstratio vel Syllogismus. Omnis enim oratio in qua quædam ponuntur, & alia ex istis positis necessariò consequuntur, i. e. Omnis probatio est Syllogismus. Nam hæc est syllogismi definitio, Prior. Analyt. c. 1. Sed Syllogismus alius est Perfectus, alius Imperfectus. PERFECTUS, qui propriè dicitur Syllogismus, & est in certa figura & modo. IMPERFECTUS, qui non est certæ consequentiæ, sive imbecilliorem habet probandi vim, quòd repugnet aut discedat à regulis & conditionibus syllogismorum. Imperfecti Syllogismi sunt INDUCTIO, Enthymema, Exemplum. His duobus posterioribus Oratores frequenter utuntur. 1. Rhet. 2. Sic igitur probationis Oratoriæ genus est Syllogismus, aut imperfectus Syllogismus, aut Enthymema vel Exemplum. *Definitio confirmationis.*

DIFFERENTIA est πρᾶγμα sive negocia & res practica. Quoties enim ejusmodi rebus adhibentur Enthymemata vel exempla fit confirmatio vel probatio oratoria: Et omnis probatio oratoria est talis.

DE SECUNDO.

I. MATERIES & objectum commune sunt Res Practicæ vel Politicæ, quæ in deliberationem cadunt; in judicijs disceptantur; de quibus laudes aut vituperia institui possunt. *Materies & objectū: vel quibus rebꝰ adhibeātur cōfutatio & confirmatio oratoria.*

II. MATERIES vel objectum proprium CONFUTATIONIS, Quæ non sunt Nimis evidentia, neq; per se impossibilia, & sic Media: Ea confutatione evertenda sunt. *Materies confutationis.*

NIMIS evidentia sunt, quæ omnium opinione sunt recepta: ut, *Quæ sint*

propositiones nimis evidentes.

universales sententiæ, quæ ad honestatem, pietatem & communem utilitatem pertinent; Item, quę sensibus dijudicantur; Item, quę nituntur gravi authoritate, aut aliâ sat firmâ probatione. e.g. Piè vivendum est: Laudandos esse qui benè meriti sint: Nemini obtrectandum: Eum, qui percusserit hominem, qui moribundus concidit, esse authorem cædis: Fuisse aliquem Julium Cæsarem & reliqua, quę affirmant historici, & quidem plurimi. Ubi non est causa mentiendi, illa omnium opinione recipiuntur, & sic sunt evidentia. In his prudentis hominis est non disjungere se ab alijs opinione & sententiâ; nō temerè contradicere, quod faciunt homines φίλαυτοι, δοξόσοφοι stolidi & imprudentes; In quibusdam etiam non poteris dissentire absq; impietatis suspicione aut crimine. 1. Top. c. 9.

Quæ sint propositiones impossibiles & absurdæ.

IMPOSSIBILIA per se, h. e. quorum falsitas est omnibus perspicua: Sic enim usurpatur Impossibile, Absurdum, Perspicuè falsum. Tales verò sunt sententiæ superioribus istis, scilicet per se evidentibus, contradicentes aut contrariæ. e. g. CONTRADICENTES, Non esse piè vivendum; Non esse laudandos qui benè meriti sint; Non esse vituperandam ebrietatem. CONTRARIÆ, sive Quæ sunt contra bonos mores, pietatem, communem utilitatem, e. g. Adolescentibus concedendum esse, ut ætatem transigant in luxu, atq; impietate, sic tandem maturitatem virilis ætatis futuram meliorem, pleniorem omni prudentiâ & morum gravitate: Non esse Deum: Magistratum esse abolendum: Legibus repugnandum: Voluptati & ocio operam dandam: Miserum esse sic coërceri legibus & pœnis, sic affixum esse adolescentem libris & labori. Item, Quæ pugnant cum ipso sensu. e. g. Pannum rubeum esse viridem. Si quis homini sano velit persuadere, ipsum ægrum esse, aut non sanæ mentis.

Quomodo hæ confutandæ & quando.

IN his refutandis homo paulò prudentior non collocat multum operæ, & ineptiæ essent magnæ collocare: fastidium pariter auditori: res, per se manifesta, disputatione ista fit obscura & dubia. Itaq; si occurrant ejusmodi sententiæ impossibiles & absurdæ, (quas defendat fortassis, aut nobis objiciat noster adversarius, ut sic omnino sint tangendæ) vel breviter attinguntur, & cum contemtu & risu, & stoliditatis, improbitatis ac impietatis accusatione: vel prolixius orator invehitur in ipsam adversarij personam; non subtiliter & operosè

defensi-

defensiunculas absurdæ sententiæ solvit; sed ostendit atq; auget magnitudinem hujus in adversario stoliditatis, improbitatis atq; impietatis. Idem fit, (ut absurdæ sententiæ sit respondendum) si illa, quamvis absurda & improba, publicâ tamen vulgi opinione foveatur. e. g. Ebrietas tantum abest, ut adeò reprehendenda sit, ut virtutis etiam alicujus sit plura posse evacuare pocula: lucrum ex re qualibet etiam cum injuria alterius esse licitum & honestum. Hîc item non tam rationibus & defensionibus argutè respondendum est, quàm invehendum contra authores & defensores, vel eos, qui jta sentiunt; & ostendendum, quàm indignum sit hoc homine, quàm indignum homine Christiano, viro prudenti &c. jtà sentire; quot hîc insint vitia, & omninò quot modis hoc possit reprehendi. Idem fit, si sententia absurda habeat authorem aliàs publice receptum, ut, si quid apud Oratores, Poëtas, Historicos, Philosophos, aut alios gravis authoritatis viros, extet, quod pugnet cum honestate, e. g. Quod Plato sensit uxores debere esse communes.

TERENTIUS dixit: Non esse flagitium Adolescentem scortari & fores effringere. Hic jtem contra Authores insurgendum est, SED prudenti moderatione opus est, ne veræ authorum laudi detrahentes, invidiæ & stulticiæ opinionem nobis conciliemus: interim authoritati & testimonio authoris istius nihil decedat etiam in improbâ sententiâ. e. g. Contra TERENTIUM dicendum non est, quòd fuerit malus Poëta, neq; reprehendendæ elegantiæ sermonis, aut simile, sed quòd fuerit Ethnicus; & Ethnicorum impietas exaggeranda est. Præterea prophanitas Ethnicorum Poëtarum reprehendenda, qui multa libidinosè scripserunt &c. Sic contra PLATONEM, non reprehendenda Philosophia ipsius simpliciter, neq; illa quæ omnium opinione rectè scripta sunt: sed sine vehementia motus aut iracundię conquerendum de Infirmitate nostri humani generis, quòd etiam præstantissima quælibet ingenia, in quibus omnium sententiâ Plato fuit, alicubi hallucinentur, atq; aberrent ab ipso naturaliter noto jure: Deinde in specie de Philosophia Ethnicorum dici poterit, extare in eâ ejusmodi erroris & infirmitatis signa plurima &c.

SINT media. 1. Media sententia est, quæ alicubi, & aliquando, & aliquibus personis, & aliquâ causâ, & similibus circumstantijs ho- *Quid sint Propositiones mediæ.*

nesta est, aut vera: alijs turpis & falsa, & sic neq; est perspicuæ veritatis, neq; perspicuæ falsitatis, & utrinq; pro sententia affirmativa & negativa suppetunt rationes. e.g. Bellum gerendum est: paci studendum est: Pecuniæ atq; opibus opera danda est: Labori incumbendum: Non licet seipsum interficere. Hic igitur error committi poterit, & affirmari quasi simpliciter verum sit, quod saltem aliquâ conditione verum est, aut falsa etiam poterit assignari conditio. e.g. Dicat aliquis, vel sentire poterit: Omnino bellum esse necessarium: bella illa justa, quæ amplificandæ ditionis causâ suscipiuntur. Hic error ab oratore demonstrandus est, & hujusmodi sententiæ confutandæ sunt.

2. Illorum singularia jtem sunt Media. e. g. Num Pompei bellum sit rectum & justum: An Lucretia rectè fecerit seipsam interficiendo. In his si quis affirmaverit aliquid παρὰ δόξαν præter communem opinionem, refutandus ille est.

3. Quædam possunt esse Media vel dubia propter imperitiam & improbitatem auditorum, quæ alias sunt manifestæ falsitatis, aut veritatis.

4. Quædam cum sint perspicuè falsa nituntur aliquâ gravi authoritate, & sic jtem sunt Media vel dubia, & digna confutatione.

5. Quædam vulgi corrupto judicio approbantur.

Materia vel objectum proprium confirmationis.

Sunt ejusdem generis, sed in specie contraria sunt superioribus:

1. Quæ non sunt manifestæ veritatis: hæc enim probare est hominis imperiti. (e. g. Quòd sit honestè vivendum) nisi apud Auditores imperitos.

2. Quæ non sunt nimis manifestæ falsitatis: quia hoc est hominis improbi, maximè, si oratio ista seriò suscipiatur, aut offendat aures honestas, bonos mores corrumpat.

3. Media, sive, Quæ propter varietatem circumstantiarum possunt aliter atq; aliter se habere: vel Ipsa, vel horum genus saltem: Item, Quæ auditoribus non satis sunt cognita & explorata, & tamen vera: Item, quæ nec ipsa quidem perspicuè vera sunt, neq; tamen contraria veræ alicui sententiæ.

DE TERTIO.

Sive Tractatio confutationis & confirmationis.

Partes Tractationis habet author noster tres:

PRIMAM: ὃ πρῶτον δεῖ εἰπεῖν, quod primo loco oportet dicere, i. e. EXORDIUM.

SECUNDAM: τὴν τοῦ πράγματος ἔκθεσιν, Ipsius negocij expositionem, i. e. Propositionem vel NARRATIONEM sententię controversæ confutandæ vel confirmandæ.

TERTIAM: τὰ κεφάλαια vel locos unde sumantur Confutatio & Confirmatio, sive ipsam confirmationem & confutationem. Ut enim in omni Syllogismo sunt Conclusio & Propositiones duæ: Ita in confutatione & confirmatione ἔκθεσις vel Propositio est quasi conclusio; τὰ κεφάλαια sunt Demonstratio vel Propositiones vel Syllogismus. Exordium additur in materijs Practicis propter auditorem, cujus animus est antè præparandus. Præter has tres partes aliæ usurpantur & observatæ sunt ab Artificibus ornatus & Amplitudinis causa, de quibus aliàs dicetur.

PRIMA PARS.

Exordium quomodo tractandum vel unde sumendum sit.

I. In CONFUTATIONE.

Author consulit esse afferendam τὴν διαβολὴν τῶν φησάντων Criminationem ipsorum authorum sententiæ à nobis confutandæ, sive ducendum esse Exordium à vituperatione Adversarij, vel ejus cujus sententiæ contradicimus. Hæc vituperatio potest variè institui, sint autem pro tempore isti loci:

1. VITUPERARI poterit origo Authoris, Educatio, Natura, vita, vel mores, habitus intellectus, figura corporis, officia, & varię relationes &c. Videatur supra in Progymnasmate secundo, descriptio personæ.

2. IN genere ordo iste aut Natio, aut aliud quid universale, quod competat authori nostro, vituperari poterit. e. g. Poëta vel Poësis:

Orator vel oratoria facultas: Hiſpania vel Hiſpani: Adoleſcens vel Adoleſcentia: Ethnicus, virgo, mulier &c.

3. Opera vel ſcripta Authoris ejuſdem, vel dicta, vel facta alia poterunt vituperari, Item, aliorum authorum ſaltem, aut hominum, qui ſint ejuſdem cum adverſario noſtro ordinis, nationis generis &c.

4. Præsens illa Propoſitio vel ſententia vel hiſtoria confutanda. Oſtendi poterit ſaltem ſummatim, quàm ſit turpis impia, periculoſa &c. vel ſaltem promitti, oſtenſum aut probatum iri in ipſa oratione.

5. Exaggerari poterit negocium præſens, de quo ſentit malè noſter adverſarius: Item, hujus genus vel genera. e. g. Germani de ebrietatis vitio, & hujus turpitudine nimis leviter ſentiunt. Sit igitur hoc thema, ubi oſtendendum vel exaggerandum: quod de Ebrietate vel Intemperantia malè ſentire ſit & periculoſum & turpe valdè. Et commendetur atq; amplificetur Temperantia. Item, ipſa virtus & mores honeſti.

Poſſunt etiam vituperari qui cum authore ſentiunt.

Exordium unde ducatur.

II. In CONFIRMATIONE.

Conſulit author noſter afferendam eſſe Exordij loco εὐφημίαν τοῦ φήσαντος, i. e. laudem authoris. Hic locus ſaltem uſum habet ſi Propoſitio vel res probanda fuerit alterius authoris. e. g. Si velis defendere rectè Lutherum dixiſſe: [redacted] pulchrè finxiſſe Virgilium, illam famæ picturam. *Æne. 4.* Laus illa ex ijſdem locis ſumi poterit, ut,

1. Laudetur Authoris perſona.
2. Ordo vel natio, vel aliud univerſale competēs authori in genere.
3. Opera vel ſcripta, vel dicta vel facta ſimilia.
4. Præſens illa propoſitio commendetur à multiplici utilitate, neceſſitate, honeſtate, dignitate, quare operæpreciumfiat, ut diligenter probetur & conſideretur &c.
5. Item res vel negocium præſens, de quo Propoſitio loquitur, vel

hiſtoria: ſive ſubjectum Propoſitionis poterit commendari & exaggerari, Item hujus genera, e. g. ſit thema: Bellum contra Turcam urgeri honeſtum & neceſſarium eſt: Hic commendari poterunt, quę habent rationem generis. e. g. Bellum, hujus neceſſitas, utilitas &c. Item defenſio Reip. hoſtium depulſio, & ultio: Deinde in ſpecie dici poterit de Chriſtianis, de noſtra Republica, de hoſte Turca.

6. Poſſunt etiam laudari, qui cum authore ſentiunt.

APPENDIX AD EXORDIUM.

SUnt verò etiam alij loci, unde duci atq; extrui poſſunt Exordia confirmationis atq; confutationis. Etenim Confutatio & Confirmatio finis ſunt omnis orationis vel Tractationis Oratoriæ: Omnis enim oratio Politica inſtituitur probandæ vel perſuadendæ alicujus ſententiæ noſtrę cauſâ. Sic in omni Oratione neceſſaria eſt confirmatio, & quidem tanquam pars Principalis & finis, & penè ipſum totum corpus orationis. Vel, ómnis Oratio eſt Confirmatio quædam. Deinde ſi adverſarium habuerimus, aut aliàs opponi quædam alicujus momenti rationes ſententiæ noſtrę poterint hæ ſunt ſolvendæ, & adverſaria iſta ſententia confutanda, quod in plerisq; orationibus accidit. Hic confutationis eſt uſus, & ſic Confutatio eſt quaſi gemina confirmatio. Sic igitur univerſim omnis illa ratio conficiendorum Exordiorum, vel omnes loci, unde ducuntur vel quælibet Exordia, huc pertinebunt. De quibus prolixè præcipiunt Rhetores, non tamen alienũ fuerit à præſenti inſtituto & loco breviter præcipua huc inſeruiſſe. PARTIEMUR autem hanc conſiderationem in partes duas: *Univerſa exordiorũ conficiẽdorũ ratio huc pertinet.*

1. Dicemus de INVENTIONE, de locis unde ſumi poterit Exordiorum materies vel res in exordio dicendæ. *Partitio dicendorũ de Exordijs.*
2. DE Tractatione vel Elocutione, vel quibus verborum & ſententiarum formis proponi debeat Exordium.

DE INVENTIONE VEL LOCIS EXORDII.

PRÆNOSCENDUM, Exordium eſſe partem orationis adjectitiam & externam, neceſſariam tamen propter auditorum μοχθηρίαν i. e. difficultatem vel corrupta judicia, quòd aliter affecti aliter de rebus ijſdem judicant homines. e. g. Aliter irati, aliter benè cupi- *Quorſum op9 ſit Exordio.*

entes dicenti, aliter alieni & peregrini, aliter si res peregrina, aliter si ad ipsos attineat &c. In Exordio igitur præparatur animus auditoris, h. e. is conciliatur atq; efficitur, qualem esse in judicanda re præsenti expedit causæ nostræ. e. g. Id agitur, ut nobis & causæ nostræ benè velit: In adversarium odium aut Invidiam concipiat &c. Artifices vel Rhetores jubent tres potissimum fines spectare in Exordijs, vel tria efficienda, quibus præparetur animus auditoris:

Generales loci tres. 1. DOCILITATEM. 2. ATTENTIONEM. 3. BENEVOLENTIAM. Dicemus de singulis, unde & quomodo possint effici.

I. DOCILITAS est ut auditor intelligat perspicuè, quibus de rebus agendum sit in Oratione; quod maximè necessarium est; & cujus rei gratiâ videntur primum instituta esse Exordia. DOCILITAS ista jtà efficitur.

1. Dicatur summa rei. 1. Si breviter proponas & perspicuè, quibus de rebus sis dicturus.

2. Paraphrasis. 2. Si quæ obscuritas est in voce aliqua aut re præsenti, brevi Paraphrasi, interpretatione & declaratione ostendatur auditori, quomodo velimus nos intellectos.

3. Repetitio fiat alijs verbis. 3. Utile est aliquando sententiam vel negocium tractandum aliâ atq; aliâ Orationis formâ repetere.

4. Partitio dicendorũ. 4. Si negocium fuerit prolixum, memoriæ causâ, & ordinis, ac perspicuitatis, dividendum est in certas partes, & hæ in Exordio proponendæ erunt.

5. Transitio vel cõtinuatio partiũ, in ipso corpore orationis. 5. Non tantum in Exordio proponendæ erunt istæ partes: sed quoties singulæ decursæ & tractatæ, maximè longiusculæ, repetenda est summa, & proponenda summa partis sequentis. Et in Epilogo iterum omnium summa repetatur.

N. B. NON semper his omnibus partibus utimur, sed singulis ubi opus fuerit. Ubi res jam ante nota est, aut, in negocio viliori ferè sufficit summam dixisse. e. g. Volo forte dicere de fabula aliqua, sufficiet ad perspicuitatem vel docilitatem sic ordiri. Narrabo vobis fabulam illam de vulpe, super delicijs nuptiarum cum porco contendente: ex qua cognoscetis aliter alios de rebus judicare. Viros prudentes optimè, improbos turpissimè.

Exemplum aliud, ubi ex omnibus locis sumta est materies, efficiens Docilitatem.

Volo forte dicere de ſtudio rei privatæ.

1. Sic pono ſummam: Oſtendam vobis peſſimum eſſe vitium ſtudium rei privatæ.

2. Vel quod nihil turpius homini aut poſſeſſori, nihil nocentius reip. ſit, quàm ſi commodum publicum poſthabeas privato: ſi id unicè agas, quomodo tu diteſcas, honoribus circumfluas, molliſſimè habearis & delicatiſſimè, nullâ interim habitâ ratione amicorum aut ſociorum, aut civium aut omnino Reip. & honeſtatis. *1. Summa. 2. Paraphraſis.*

3. Hoc igitur oratione iſtâ oſtendetur, maximè fugiendam eſſe eam injuſticiam, quâ multi ſibi omnia arrogant; ſe omnium digniſſimos putant, quibus bellè ſit; alijs, quantum in ipſis eſt, nihil aut viliſſima quæq; relinquenda & aſſignanda judicant. Quid verò ea re poterit eſſe indignius? quid magis turbare Remp? ſi omnes ſibi vivere velint; nihil in communem utilitatem afferre &c. *3. Repetitio.*

4. De his omnibus iſtâ oratione cognoſcetis. Sed tamen ne nimis vagetur oratio, ipſe mihi hos quaſi cancellos circumſcribam, ut 1. oſtendam: Qui hominum ordines huic vicio affines ſint. 2. Quot modis fiat, ut rei privatæ aliquis nimium ſtudeat. 3. Quot modis vicioſum ac turpe ſit ſtudium rei privatæ. *4. Partitio dicendorũ.*

5. Tranſitio vel Continuatio ſic fiat poſt primam partem orationis tractatam: e. g. Audiviſtis, qui hominum ordines huic vicio ſint affines &c. Et addi poterit enumeratio: e. g. Vulgus & plebs, fæneratores, lenones, avari, imperiti &c. ITEM addi poterit Concluſio pro themate noſtro: e. g. Quod ſigno eſt, ſtudium rei privatæ eſſe turpiſſimum, à quo ſcilicet abſtinent viri boni, ſectantur verò improbi homines. DEINDE addatur ſumma ſequentis partis: e. g. dicam porrò quot modis fiat ut rei privatæ ſtudeamus: De eo enim meminiſtis, me propoſuiſſe ſecundo loco dicturum &c. Et ſimilis fiat Tranſitio vel continuatio poſt alteram, jtem poſt tertiam partem. IN EPILOGO fiat repetitio univerſalis: e. g. Audiviſtis igitur &c. Vel: Atq; hæc dicta ſufficiant de tribus illis capitibus, quæ initio orationis proponebam qui ordines &c. vide ſupra, immutentur paululum verba. *5. Tranſitio.*

6. Huc puto pertinere illud genus Exordij, pro concionibus uſitatum, & in alijs didacticis orationibus, & quæ exercitij gratiâ inſtituuntur, quando oſtenditur, ad quem locum communem, ut vocant,

ad quod doctrinæ caput, ad quam disciplinę partem pertineat pręsens Oratio, Item quomodo præsentia, cum superius dictis cohæreant. e. g. Diximus proximè &c. nunc dicemus &c. Indicationem vocabimus.

II. ATTENTIO.

Quomodo & unde attentio concilietur.

ATTENTIO est, ut auditor animum advertat, & cum diligentia quadam atq; industria observet & cogitet singula causæ momenta, i. e. rationes probandi.

Attentio sic efficietur.

1. SI promittamus nos dicturos de rebus, quas libenter audiant homines, vel aliàs universim, vel saltem præsentes Auditores: ut de rebus magnis, mirabilibus, jucundis, proprijs &c. QUOD fit vel directè vel obliquè. Directè e. g. dicam de rebus magnis: Agitur salus Reip. &c. OBLIQUè. Si saltem rerum magnarum &c. ad negocium præsens, atq; ad tuum institutum pertinentium facias mentionem, ut Cic. post red. ad Senatum. Quod precatus sum à Dijs immortalibus &c.

MAGNÆ res dicuntur, quæ pertinent ad pietatem, ad honestatem, ad Remp. ad vitam plurium & incolumitatem, ad existimationem, ad Principem & alios magnos viros, Inijcienda igitur erit crebra mentio Deorum, Principum, Reip. pietatis, virtutum, fortitudinis &c. vitæ salutis, famæ &c. eruditionis, Philosophiæ &c. Item atrocium scelerum &c.

MIRABILES dicuntur res, quarum causæ sunt ignotæ; in quibus mira inest prudentia aut versutia; & quibus quicquam simile aut nunquam aut raro meminimus nos audire vel vidisse.

JUCUNDÆ dicuntur res, quæ voluptatem afferunt, Joci, novitates, varietas, artificiosè facta vel ficta, doctè ac prudenter dicta, vicissitudines rerum, lucrosa, vel unde lucrum est pecuniæ, aut honoris.

PROPRIÆ quæ ad præsentes pertinent auditores.

2. Benevolentia si rectè captata sit, etiam attentio conciliabitur, quia, quibus benèvolumus, eosdem libenter attendimus.

Attentio non in ex-

3. In toto orationis corpore excitari debet attentio, si metus, ne

defessi

defeſſi ſint Auditores, aut aliud agant. Hic dicendum eſt aliquando: Huc quæſo animum adhibete, veſtra enim res agitur, Aut, dicam enim de re valdè atroci, aut lepida aut præclara & inſigni, aut qualem nunquam audiviſtis: aut quam valdè miraturos vos benè ſcio. Huc pertinet quod de Prodico refert Ariſtoteles, dicere hunc ſolitum eſſe: Si dormitent Auditores, inferendam eſſe demonſtrationem de quinquaginta drachmis ad hos pertinentibus. *ordio tantũ excitanda, ſed toto orationis curſu conſervanda eſt.*

NOTETUR: Aliquando non opus eſt Attentione, ſed contrario, ut non ſint attenti Auditores, quia fortè mala noſtra eſt cauſa, & Adverſarius mirè rem exaggeravit: Ibi riſus captandus eſt, & omnia extenuanda, & contrarijs utendum eſt locis. *Aliquando auditor ab attentione avocandus eſt.*

III. BENEVOLENTIA.

BENEVOLENTIA eſt, ut auditor nobis, & cauſę noſtræ benè cupiat, adverſario malè.

LOCI unde conciliatur benevolentia, quatuor ſunt generales: A perſona noſtra; A perſona Adverſarij; A perſona Auditoris; A re vel negocio præſenti.

Locus primus: à perſona noſtra.

PERSONAM noſtram intelligo Oratorem, Reum, hominem de quo dicturus eſt orator, Authorem cujus ſententiam eſt laudaturus, & omnes qui ſunt à partibus oratoris. PERSONA Oratoris debet bonos mores præ ſe ferre, i. e. illa facere & dicere, quæ ſolent homines honeſti, hos enim amamus, & his benè volumus, e. g. *A perſona noſtra.*

1. MODESTIAM, ut fateatur de ſui ingenij tenuitate, exiguo profectu: afferat cauſam, cur ad dicendum acceſſerit &c. Et hic ſolent conqueri de materiæ difficultate, temporis anguſtia &c. & ſimilibus impedimentis, quæ fecerint, ut minus ſe potuerint præparare, vel dignum quid afferre iſto loco & tempore; ſed ita tamen, ut in his ſervetur modus, ne nimis ſe extenuet: ne cauſam reddat, ubi non exquirunt eam auditores. CAUSÆ ſolent reddi ex genere Deliberativo: e. g. Honeſtum eſt: neceſſarium eſt: utile eſt mihi, vobis, Reip. &c. Item, officij mei; petierunt hoc amici mei; moris eſt; feci exercitij gratia &c.

2. Orator præ se ferat HUMAnitatem & JucUNditatem: purget se, si fortè reprehenderit quem in oratione; non id fecisse morositatis, sed aliâ gravi causâ; sit elegans in gestu, vestitu, moribus, verbis &c.

3. Item familiaritatem & Amicitiam erga Auditores debet præ se ferre: quod observet, colat, amet ac benè velit ipsis.

4. Item communitatem, vel quod habeat eosdem cum ipsis amicos, idem damnum, eadem studia, eandem voluntatem, idem vitæ genus, eandem nationem, aut alia communia. Gratuletur eorum bonis, & doleat malis.

1. PERSONA rei debet laudari à virtute, honestâ origine, & alijs undecunq; possunt homines laudari. Videantur loci personarum in secundo Progymnasmate.

2. Debet huic Misericordia Auditorum conciliari, commemorando quæ indigna patiatur.

3. Ex ijsdem quibus Orator hic jtem commendari debet, intelligo à familiaritate, amicitia, communibus plurimis rebus Reo cum auditoribus.

PERSONA Authoris, & ejus, de quo dicimus, quomodo commendanda sit supra dictum est.

Etiam aliquando defensio instituenda est: Si orator, vel reus, vel author sententiæ, vel ille, de quo dicimus, sit ab alio reprehensus, aut auditorum sint sinistræ opiniones: de quibus opinionibus diligenter cogitandum est omni oratori, ut has tollat, in ipso Exordio, Et sic jtem conciliabitur benevolentia.

SECUNDUS LOCUS BENEVOLENTIÆ *à persona Adversarij.*

Ad hanc refero 1. eum, qui vel seriò vel exercitij causâ nobis contradicit.

à persona Adversarij

Quis sit adversarius.

2. Eum qui aliàs à nobis dissentit, vel nos ab illo, e. g. Si contra Avaritiam, aut aliud vicium declames (ut contra voluptates) aut pro virtute aliqua, adversarij loco erunt vulgus, adolescentes, & quicunq; fuerint affines istis vicijs, & quicunq; dixerint aliquid aut fecerint, quod pugnet cum istis virtutibus: Et sic Epicurus erit loco adversarij, & ille qui optarat sibi dari collum gruis, ut diutior esset jucunditas, quam sentiebat ex potu.

3. Eum,

3. Eum, cujus ſententiam ex inſtituto repræhendis.
4. Ipſum reum, & qui fuerint ab hujus partibus.

AB Adverſarij perſona ſic conciliabimus nobis Auditorum benevolentiam, ſi hunc vituperemus: Quod fit ex locis Generis Demonſtrativi. *Quomodo ab huj9 perſona concilietur benevolentia.*

1. Advocemus in odium.
2. Conciliemus illi iram auditorum.
3. Adducamus in Invidiam.
4. In contemtum.
5. Errorem in præſenti re ſaltem accuſemus, & cauſam erroris dicamus.

IN odium adducitur Adverſarius, ſi demonſtremus, quòd ſit injuſtus, immodeſtus, & alijs præditus vitijs, præcipuè turpiſſimis, quæ omnes averſantur: e. g. quòd ſit mendax, defraudator, fur, ſacrilegus, ἐπιχαιρέκακος, immiſericors; non tulerit auxilium, cum poſſet & neceſſitas maximè poſtularet; vivat in ſordido vitæ genere, odioſo, omnibus odio ſit, vel ſaltem amicis auditorum, & quos hi amant ac ſuſpiciunt: & quod ab Auditore ſit alienus.

IRA conciliatur Adverſario; ſi demonſtremus illis vitijs fuiſſe adverſarium ipſis auditoribus moleſtum: e. g. Quòd ipſos calumniatus ſit; adverſus ipſos immiſericors fuerit, ipſorum amicos læſerit, inimicos inverit.

CONTEMTUM faciemus adverſario: ſi leviora objecerimus: e. g. moroſitatem, ſordes, ſtoliditatem, ſuperbiam, ebrietatem; ineptias, obſcuritatem generis, erratum aliquod; & omninò quæ riſum poſſunt facere Auditoribus.

INVIDIA conciliatur: ſi conqueramur adverſarium eſſe potentem, doctum, divitem, in ſumma gratia, & alijs præditum bonis, ſed his abuti ad malitiam.

ERROR in præſenti negocio ſic accuſatur. Si laudes adverſarium i. dicas eſſe doctum, virum bonum &c. ſed in præſenti negocio malè feciſſe: & excuſes, ſive dicas cauſam ſic fortè: aliquid humani paſſus eſt; nemo tantâ prudentiâ repertus eſt, qui non alicubi aberret. Aut Ethnicus fuit: aut, coactus eſt: aut, erravit, lapſus fuit, ſenex eſt, defecit ipſum memoria &c.

TER-

TERTIUS LOCUS BENEVOLENTIÆ
à persona Auditoris.

à persona auditoris.

Conciliabitur Hinc Benevolentia.

1. Si hunc collaudes ab Eruditione, à prudentia, à studio discendi, à multis virtutibus, jtem à celebritate loci ac Reip. jtem ab opulentia, à potentia &c.

2. Si commemores, quæ tibi olim benefecerint, aut tuis; aut quomodo tibi bene cupiant, aut ipsi, aut majores, aut amici & socij, aut illi saltem, quos hi aliàs suspiciunt & colunt.

3. Si in genere laudes ea, quæ chara sunt & in amore Auditoribus; aut quæ assunt auditoribus, aut quæ videntur auditoribus sibi adesse, ut sic videantur Auditores sibi ipsi laudari: e.g. Literas & eruditionem apud studiosos: honores apud Politicos: divitias apud divites: formam & Musicam & ocium apud Adolescentes: Prudentiam apud senes: Nobilitatem apud nobiles, & Magistratum, apud eos qui Magistratu funguntur.

4. Si commendes ac committas te, causam, causæ cognitionem, judicium &c. Auditoribus: dicas magnam esse in ipsis spem sitam, in ipsorum prudentia, æquitate &c. omnem salutem causæ esse sitam in ipsorum manibus: ipsos solos posse juvare &c.

QUARTUS LOCUS EX RE IPSA.

ex re ipsa.

Hinc conciliabitur benevolentia, si illa commendetur: e.g. Quod sit maximè necessaria, utilis, pia, honesta; pertinens ad salutem Reip. aut auditorum, aut omnium vitam, valetudinem, existimationem, ad mores componendos, ad fortitudinem, liberalitatem; Item quòd pertineat ad illud, quod maximè amant auditores: e.g. ad Literas, ad honorem, ad mercaturam; & omninò quod sit talis, quam ament auditores, & de qua libenter audiant.

Locorum dictorum usus.

1. In Exordio inveniendo atq; excogitando hi loci percurrendi sunt, & cogitandum diligenter, num attentione, num docilitate, num benevolentiâ opus sit.

2. In Exercitijs, varietatis causâ, nunc omnibus istis, nunc unâ aliquâ uti poterimus.

3. Posi-

3. Posito isto fine, vel, quando jam certi sumus, quid velimus tractare vel efficere, videamus ex singularum locis & sumamus materiam, unde concilietur vel docilitas, vel Attentio, vel Benevolentia.

4. Ordo in istis non est, sed mistim tractantur, ut commodum fuerit memoriæ auditoris, perspicuitati causæ, & præparando animo Auditoris.

5. Videndum est, ut, quæ in Exordijs dicuntur, non longè absint à re: e. g. Si laudes Auditorem, illæ potissimum afferendæ sunt laudes, quæ pertinent ad rem præsentem.

6. In genere Demonstrativo licet de rebus, ad negocium præsens parum attinentibus, exordiri, modò tandem connectantur cum præsentis Orationis corpore.

7. Omnes consulunt cogitandum esse de exordio post reliquum Orationis corpus jam confectum: sic posse expeditius inveniri.

8. Sunt & alij modi conciliandi benevolentiam, attentionem, docilitatem, ex circumstantijs præsentis negocij, præsertim tempore & loco: qui possunt facilè referri ad superiores.

9. Aliquando statim à re ipsa ordimur, à Narratione vel à fortissimo quoquo argumento, vel nostro vel adversarij: sive non habent exordium Oratores.

DE TRACTATIONE VEL ELOcutione Exordij.

1. In genere verba & sententiæ hic debent poni elegantia, non nimis magna & ornata, sic enim fastum præ se ferent, & contemtum parient, sed mediocriter culta, ut sint signum Modestiæ & ingenij culti. *1. Quibus verbis & sententijs, in genere sit utendum.*

2. Affectus hic non sunt toti expediendi, sed leviter primum impellendi. Affectus dico, Misericordiam, Iram, dolorem &c. Reservandus est plenior motus Confirmationi, vel post rem probatam, & Perorationi. Non est hic exclamandum: O rem indignam! O virtutem auream! Ajax sic exorditur apud Ovid. Agimus proh turpiter, inquit, Ante rates causam, & mecum &c. Sed est oratio hominis militaris & ferocis. Tum exorditur à re ipsa, ac fortissimo argumento: Quod aliàs etiam fieri solere monebo infra. Vel non habet exordium Oratio, ut Cic. orat. 1. in Catil. *2. Quomodo affectus movendi.*

3. Quibus sententiarũ formis sit utendum. Proponuntur harum varia genera in exordijs usitata. I. Forma.

3. Formæ sententiarum hæ sunt usitatæ in Exordio:

I. Πρόληψις vel occupatio, Recitatur opinio Auditorum sinistra & adversa causæ nostræ, aliquando simplex, aliquando cum ratione. e. g. Credo vos mirari, Auditores, cur ego ad dicendum surrexerim, Juvenis & minus versatus in bonis literis. Huic subjicitur λύσις vel responsio, quæ iterum habet 1. ἀντίθεσιν propositionem contrariam opinioni isti: e. g. Sed desinite mirari: Verum si audietis rationes, desinetis mirari. 2. αἰτιολογίαν vel rationem hujus Propositionis: e. g. Amore & studio proficiendi huc progressus sum: Petierunt hoc a me amici &c. 3. λύσιν vel solutionem contrariæ rationis: e. g. Juvenis quidem sum, sed anteà aliàs etiam huic ætati patuit hic locus: Non sum versatus in bonis literis, fateor, sed hanc in illis versandi occasionem datam publicè negligere nolui. 4. ἐργασίαν, vel Amplificationem. Huc possunt apponi exempla, similia, Inductiones &c.

2. Forma. Aliquando occupatio & responsio in unam comprehenduntur periodum: ut in divinatione in Cæcilium, jtem pro Milone.

3. Forma. Cicero sępè utitur Periodo aliquâ conjunctâ vel continuatâ, ut vocant, quæ habet Propositionem & redditionem, quâ summam dicit quodammodo Exordij; & deinde reliquo Exordio eam Propositionem summariam quasi explicat, atq; urget. Et solet hæc Periodus aliquam affirmationem audaciorem habere, & paradoxam, ut Auditoribus injiciat admirationem; tum pulchra fieri vel exornari pluribus membris sibi respondentibus. Muretus vol. 1. oratione 2. jtem contra Verrem; jtem pro Cecinna; pro Murena &c.

4. Forma. Ordiuntur etiam Oratores a Gnome vel sententia universali, quæ pertineat ad rem præsentem, de qua dicimus, vel saltem ad nostrum institutum, aut ad personas, aut aliquam negocij circumstantiam, Mur. or. 16. vol. 1. vol. 2. or. 2. Cicero in Verrem &c.

5. Forma. Item ab historia. Muretus volum. 1. oratione 10.

6. Forma. Possumus etiam à fabula vel simili ordiri.

7. Forma. Multas orationes ab Indicatione vel Transitione exorsus est Cicero lib. 4. in Verrem & 5. 2. In Catilinam.

8. Forma. Sunt usitatę in Exordijs formulę optandi: Orat. Vlyss. apud Ovid. abominandi: rogandi: Orat. Cicer. in Senat. post red. & sollicitudinis: pro Quint.

In

In Exordio finiendo usitatæ sunt ὑπόσχεσις & ἀξίωσις promissio & petitio. PROMITTIMUS verò, nos effecturos, ut Auditores assentiantur nostræ sententiæ: Item breviter dicturos; novi quid allaturos; & res vulgatas aliquâ novitate condituros vel paucioribus prosecuturos: Cic. in Orat. pro Plancio. Fiat verò illa promissio modestè; habeat laudes auditorum. PETITIONE verò petimus, ut Auditores sint attenti: ut candidè & sincerè judicent, ut ignoscant, si non possimus pro rei dignitate verba facere: Cic. in Orat. pro Quintio. PETITIO est obliqua vel directa. Obliqua: e. g. Si sic petam: Oportet hoc vos facere, æquum est. DIRECTA: e. g. Quæso vos, oro atq; obsecro &c. *9. Forma.*

DE NARRATIONE.

Alteram tractationis partem facit author noster τὴν τοῦ πράγματος ἔκθεσιν expositionem negocij præsentis, ad quam tria referuntur.

1. EXPOSITIO propriè sic dicta, quam supra appellavimus Summam.
2. PARTITIO dicendorum.
3. NARRATIO propriè sic dicta.

PRIORES duæ partes appellantur à Rhetoribus uno nomine Propositio; & pertinent ad docilitatem: Itaq; ad Exordium referuntur, & ibidem à nobis consideratæ sunt.

NARRATIO est Expositio rei gestæ, vel negocij singularis. Videatur supra Progymnasma secundum &c. Quoties igitur in præsenti negocio occurret res vel factum aliquod singulare, hoc factum solet exponi initio orationis post Exordium. Sæpè tamen in ipso Exordio: ut in Orat. pro Quintio: unde multi Narrationem faciunt Exordij partem. Cum autem Narratio sit triplex, universaliter de illa in secundo Progymnasmate dictum est; hic quædam monebimus, quæ ad Politicam Narrationem pertinebunt, ut ibi vocabat author, i. e. Narrationem præsentis Negocij: *Quorsum op9 sit Narratione.* *Author ad Heren.*

1. Si universale aliquod tractes thema, nulla est materies, aut locus Narrationi.
2. In causis particularibus, sive in negocio singulari; e. g. Si quem hominem laudes aut vituperes, aut accuses, aut defendas, aut petas *Quando opus sit narratione.*

aliquid,

aliquid, aut deliberes, aut horteris aut dehorteris; hic interveniunt plerumq; quædam narranda, e. g. Factum ipsum, aut vita ejus, qui laudatur aut accusatur &c. aut, quæ acciderint in eo negocio, de quo deliberatur: jtem occasiones hujus facti, unde factum sit, ut in dubium veniret res, vel quæ factum antecesserint; Item unde factum sit, ut tu cogitaveris de ea re dicere, istum hominem laudare, vituperare, ipsum dehortari &c.

Aliquando sparsim in ipso Orationis cōtextu narrandum

3. Non semper initio Orationis, sed sparsim in toto Orationis corpore est narrandū, si jta ferat causa vel negocium. In genere Demonstrativo hoc præcipuè servandum est: ut e. g. 1. Narres originem. MOX huic subjungas demonstrationem & confirmationem; h. e. laudes, vel vituperes, vel amplifices. DEINDE progrediaris ad naturam: & hâc enarratâ, ITERUM demonstrationem interponas: & sic deinceps.

Alia breviter, alia prolixè narranda.

4. Res notæ breviter tantùm in memoriam revocari debent: ignotæ prolixè narrari poterunt.

Quomodo efficiatur Jucunda, narratio. Morata. Quomodo mores exprimantur Palam. Occultè. Ex dictis.

5. JUCUNDÆ sunt narrationes moratæ & quæ affectibus plenæ sunt. MORATÆ fiunt aut palam aut occulte. Palam si interseras Narrationi sententias; aut hominem vel rem expressis verbis laudes aut vituperes. OCCULTÈ: si mores hominis significentur per signa saltem. Hominis dico de quo narres, jtem ipsius oratoris. SIGNA appello, dicta vel facta, quibus solent uti illis moribus præditi. Sententiæ honestæ, & facta honesta bonorum morum sunt signa: Inhonesta & turpia malorum. Si quem igitur commendare velimus, poterimus illum facere loquentem sententias honestas. Item Orator ipse ejusmodi sententias usurpet. Vel dicas: Ille sic cogitabat, melius esse honestè mori quam turpiter vivere: vel eligebat &c. Vel saltem si subjungas tuum judicium, & sic causam reddas facti: e. g. Melius enim est fortiter mori, quàm turpiter vivere. Si quem in contemtum adducere vel reprehendere velis, occultè ex dictis vel sententijs simili modo poterunt mores ipsius mali pingi: scilicet, 1. vel facias ipsum loquentem improba. 2. Dicas cogitasse, elegisse, hoc spectasse. Vel 3. simpliciter apponas tuum judicium. EX FACTIS occultè pinguntur mores, non tam illis quæ sunt per se bona, aut turpia: e. g. Si laudes aliquem propter Temperantiam, & dicas temperanter vixit; Sed ex

Quomodo ex factis.

illis, quæ sunt media ad istas, & quæ comitantur illos mores: e. g. Quod viderit virginẽ, & dejecerit oculos; quod fugerit convivium, & occasionem quandam commessationis: Hoc enim facere solent, qui sunt Temperantes: sed non omnes, qui hoc faciunt, sunt Temperantes. Et sic, si Avarũ velis occultè notare, dicas: Ille verò omnes rationes accepti & expensi sollicitis articulis computabat, si major summa expensa ipsi ferebatur, concutiebat caput aut scabebat, fluebant homini lachrymæ, rixabatur, dicebat hoc esse impossibile. Itaq; quoties describendum est factum, non tantum genus ponendum est, sed hæ notæ etiam, gestus & facta media sive comitantia ejusmodi mores, e. g. furtum: Non tantum ponas: furatus est: Sed describatur vultus & gestus, & apparatus, & fuga, & sermonis inconstantia, & reliqua, quæ solent apparere in furibus. Sic moratam & jucundam efficiemus Narrationem.

6. Idem fiat in affectibus, irâ, dolore vel luctu, misericordiâ, gaudio, spe, cupiditate, amore, odio &c. Non tantum ponatur genus, sed notæ generis, sive dicta & facta, gestus, & similia hominum iratorum, dolentium, miserentium. e. g. PRO IRATUS EST, dicatur: Exarsit, torvo vultu aspexit adversarium, &, ut Virgilius describit Turnum 11. Æn. Validam vi corripit hastam &c. Quassatq; trementem &c. DOLORIS & luctus exemplum habes in Mezentio 10. Æn: Ambas ad cœlum tendit palmas &c. Et in Evandro 11. Æn: Et observes, loquaces esse qui lugent. Vide orationes Mezentij 10. Æn; super Pallante 11. Æn; Evandri ib. *Quomodo affectus exprimantur.* 1.

Venit in medios. Pheretro Pallanta reposto
Procumbit super atq; hæret lachrymansq; gemensq; &c.

ITEM describi solent objecta, quæ istos affectus movent. e. g. Æneas vidit caput Pallantis & ora, leviq; patens in pectore vulnus: audit ululatus mulierum quæ, ut: 2.

Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sydera tollunt
Pectoribus, mœstoq; immugit Regia luctu:

hic non potest non lachrymari.

7. VERISIMILIS debet esse Narratio: quod fit, si circumstantiæ aptè fingantur; conveniat facto locus, tempus, persona, modus, causa. *Quomodo efficiatur narratio verisimilis.*

Quod si intervenerit quoddam non verisimile, tres sunt medelæ: 1. afferenda est causa, & quasi defensio, & explicandum quomodo hoc fieri potuerit, & tollendæ contrariæ opiniones. e. g. Si dixeris de avaro, quod spreverit divitias, adde causam: apparebat omnibus manifesta turpitudo; videbat omnes sibi infensos, & nescio quid minari; vel: fecit propter majus lucrum; vel: aliquando spernunt avari divitias propter metum mali imminentis, aut necessitatem, ut vulpes pyra spernebat; aut propter spem majoris lucri. 2. Si non potest defensio institui, fateamur non esse verisimile. Confessio ea vel est simplex, vel cum compensatione. Simplex quâ solent Poëtæ uti: Mirabile dictu, si fides est habenda Poëtis. Cum compensatione: e. g. Mirum est, sed tamen verum: Ipse non video rationem, sed multa hujusmodi fiunt, quorum non possumus causas reddere; & in isto homine sunt alia mira. Item: sentiunt hoc mecum alij; testantur viri graves; viderunt hoc multi, & audiverunt. Item brevius si sic dicas: ajunt; fertur; constans opinio est; Poëtæ fabulantur. 3. Præmittimus aliquando nos infra probaturos aut alibi; & petimus, ut in præsentia nobis fidem habeant; & afferimus causas, cur non possimus nunc probare, e. g. propter brevitatem temporis.

Attendendũ innarratione scopus.

8. Diligenter attendendus est finis orationis, ut ad hunc Narratio referatur: & ex narrationis partibus tanquam concessis possint deinde fieri probationes negocij principalis. e. g. Si laudare velis, videndum est, ne ea afferas, quæ possint rectius vituperari.

PARS TRACTATIONIS TERTIA, τὰ κεφάλαια sive loci Confutationis & Confirmationis.

Quid sint Loci. Definitio ratione finis vel formæ. Definitio ratione materiæ. Divisio locorum.

Loci sunt quasi sylvulæ aut campi probationum. Ut enim istas pererrant, qui feras sectantur: ità qui locos hos benè noverit, percurrerit, excusserit, facilè inveniet materiam dicendi, sive rationes probandi, vel quibus alienam adversarij sententiam confutet, suam verò confirmet. Sunt verò termini quidam universales, accidentes omni generi factorum.

Author duos facit horum ordines. Primus ordo habet locos Confutationis, qui sunt termini generales accidentes factis falsis & fictis. Alter ordo habet locos Confirmationis, qui sunt termini uni-

versales, accidentes veris factis. Unde concluditur: Quia alterutra accidunt nostro etiam facto, ideò nostrum hoc factum esse ejusdem generis, i. e. vel verum vel falsum. CONSEQUENTIA talis, e. g. Impossibilia falsa sunt. Hoc est impossibile, ergo hoc est falsum. Falsa ferè sunt non-verisimilia. Hoc est non-verisimile, ergo falsum.

LOCI CONFUTATIONIS.

Hos sex habet noster author. 1. OBSCURUM. 2. Non-verisimile. 3. Impossibile. 4. Inconsequens. 5. Indecorum. 6. Inutile.

DE PRIMO LOCO.

Obscuro.

OBSCURUM est non satis explicatum, minus aptum intellectui, quod non possumus intelligere quale sit &c.

CAPTATUR obscuritas vel à rebus vel à verbis.

A REBUS: si illæ dicantur generales nimis, aut ignotæ, e. g. si apud vulgus ex Philosophia disseras, aut de rebus Indicis, aut singularibus alijs ignotis. *Unde captetur obscuritas.*

A VERBIS: si illa sint peregrina, vel antiqua, e. g. latina apud imperitos hujus linguæ. ITEM: si sint ambigua vel per homonymiam, vel per Amphibologiam. ITEM: si sint Ænigmatica. ITEM: Orationes nimis Ellipticæ & abruptæ. ITEM: nimis longæ Periodi faciunt sententiam obscuram. DEMUM Periodi confusæ, ubi non servatur Syntaxeos ratio, vel plurimæ aut longiusculæ parentheses interponuntur.

UTIMUR hoc loco Directè quidem & immediatè contra personam Adversarij, & orationem hujus: consequenter contra facti veritatem, quam ille affirmavit. *Quomodo utamur hoc loco contra adversariũ. 1. Logicè.*

Logicus sic uteretur:

Sophistæ solent obscurâ uti oratione.

Vel conversim:

Qui utuntur obscuro sermone sunt Sophistæ.
Adversarius meus utitur obscurâ oratione. *Major, Minor.*
E. videtur Sophistam agere.

Vel

Vel sic:

Falsæ orationes plerumq; sunt obscuræ.

Aut conversim:

Obscuræ orationes plerumq; sunt falsæ.
Adversarij Oratio est obscura.
E. videtur falsa.

Sed istæ formæ Enthymemata sunt, sive peccant contra regulas Syllogismorum, & sic facilè possunt solvi: Major est particularis: est affirmativus in secunda figura &c. Quare Logicus non utetur: sed Oratoribus licet uti Enthymematis, & sic peccare contra Syllogismorum regulas: Propterea non proponunt sic nudè, sed magnâ prolixitate ac multo ornatu; utraq; tamen propositio retinetur, sed libero ordine ponitur. e. g. SIC:

2. Oratoriè.

Propositio Major vel Locus communis.

Sophistarum hoc proprium est, ut latere possit studium fallendi, uti sermonis & verborum obscuritate, ut vel quidvis aliud potius dixisse aut sentire videantur, quàm in manifesta falsitate deprehendantur: Aut etiam; ut ab imperita multitudine magnum quid sapere judicentur, quippe quod istius intelligentiam fugiat &c. Et hoc alijs pluribus verbis ornatur, deducitur, amplificatur; adducuntur Inductiones, exempla, similia &c. e. g. Sepiam ajunt piscem esse, cui atramentum pro sanguine sit: Eandem quoties sibi insidias strui, jamq; penè se circumventam senserit, effuso isto atramento sic effugere in latebras. Quod idem videntur facere Sophistæ &c:

Propositio Minor. Obscuritate ex generalitate quomodo sit utendum.

Deinde loco MINORIS PROPOSITIONIS exagitatur obscuritas ista, ut ista generalitas. e. g. Dixit fortè adversarius; hominem quendam sibi narrasse, & accidisse aliquid & alicubi &c. confutandus sic erit: Homo ille fortassis ex tuis fuit partibus, aut, si nominaretur, plus tuæ causæ obesset, quàm prodesset. Aut: Quid illud hominis? cur non nominas? cur non producis? cur non apponis locum, tempus, occasionem, signa &c? Solent hoc facere calumniatores, homines simplices &c. 2. Si de rebus ignotis locutus fuerit adversarius, ridendus erit: e. g. Non possum satis mirari simplicitatem, putat ista se apud sui similes garrire. Aut: Quæ est ista ostentatio? Aut: Reser-

Quomodo obscuritate ex reb. ignotis.

vet

vet sibi in aliud tempus eam sapientiam. Aut: venit mihi in mentem illius Thrasonis vel Adolescentis è Rhodo &c. 3. Si dictio sit peregrina, antiqua, reprehendantur generaliter illæ ineptiæ, quòd multi delectentur peregrino & antiquo sermone. Moribus antiquis hodiernis utere verbis. DEINDE quære, quid velit intelligi; varios affinge sensus pro libitu, & hos exagita. Quod idem fieri poterit in reliquis, in homonymis, Ellipsi, longis periodis &c. Sed tamen hic modus est servandus, UT ingeniū aliquod appareat, non pueriles ineptiæ. Item, UT Modestia quædam & urbanitas adsit, non præcipitemur in scurrilitatem & impudentiam. *Quomodo obscuritate ex verbis.*

Hic subjici potest CONCLUSIO. e. g. Quæ cum jta se habeant. vel: Quare videbitis, quid fidei adhibendum sit orationi isti, cujus author sibi ipse parum confisus esse & causæ suæ videri alicui posset, dum in istas obscuritatis atq; ambiguitatis tenebras sese abdidit. *Conclusio.*

SECVNDUS LOCUS.

Τὸ ἀπίθανον *non-verisimile vel absurdum & paradoxon.*

NON-VERISIMILE est, quod abhorret à sententia & opinione vel communi omnium hominum, vel doctorum & excellentium virorum, horumq; vel omnium vel maximè insignium; jtem, quod pugnat cum sensibus; cujus ratio & modus non potest facilè pervideri; quod non habet sufficientem probationem.

LOGICUS, si quid affirmaretur ab Adversario paradoxon, simpliciter negaret se admissurum eam propositionem, quæ sit contra communem opinionem. ORATOR I. hic poterit locum communem aliquē tractare quasi loco MAJORIS PROPOSITIONIS: e. g. Quòd sit modestiæ ut in vestitu ac moribus, jta in opinionibus ejusmodi de rebus honestis non disjungere se temerè ab alijs: Esse arrogantiæ anteferre suum judicium judicio aliorum doctissimorum virorum; singulare quid velle sapere; antiquis & multis authoribus contradicere. Illos & longiori seculorum multorum spatio, & plurimos ac diligenter eam rem cogitasse: Tibi hodiè primùm, aut heri eam natam opinionem, de qua cum nemine contuleris, atq; adeò ipse sis incertus, num sis in crastinum defensurus: Itaq; non sic temerè fuisse promulgandam, neq; tot ac tantis authoribus fuisse opponen- *Quomodo utamur isto loco contra adversariū. I. Logicè. II. Oratoriè. Propositio Major.*

dam, aut vulgus non ſic fuiſſe irritandum, nempe crabrones, eſt enim res odioſiſſima. Item contra inſcitiam poterit declamare, quòd quidam abſurda, & non tantùm ab hominum opinione, ſed ipſis ſenſibus abhorrentia auſint defendere ſaltem ne ſentiant cum alijs. Quod inſignis impudentiæ, cum peſſimâ ignorantiâ conjunctæ, ſignum eſt certiſſimum. Item ſi contra hiſtoriam dicas, Locus communis erit, quòd Hiſtorici aliquando patiuntur aliquid humani; labitur memoria, deficit experientia; aliquando adulantur principem aut gentem ſuam: Græci pro vanitate multa mentiuntur &c. Si contra fabulam, Locus communis erit, quòd Poëta multa ineptè finxerint. Si contra Accuſatorem, Defenſorem, Hortantem, Dehortantem, Laudantem, Vituperantem &c. ſingulis generibus conveniens aliquis locus erit deligendus.

Propoſitio Minor. Deinde quaſi loco MINORIS PROPOSITIONIS, producatur illud, quod eſt in adverſarij ſententiâ, opinione, narratione, probatione &c. abſurdum & præter communem opinionem dictum: & ſi non fuerit perſpicua abſurditas, explicetur: adducantur ſententiæ communes, vulgi, doctorum, quibuſcum pugnet Adverſarius: monſtretur quæ ſententiæ, & quàm utiles, honeſtæ, neceſſariæ communi vitæ, veriſſimæ &c. ſic forent evertendæ; quot doctis hominibus, & quibus, & quantis, & quàm inſignibus viris contradicatur, quàm antiquę opinioni; quàm pugnet illa opinio adverſarij cum ipſo penè communi ſenſu, ut tota ſit ridicula, penè puer ſentire poſſit. Et hic exclametur: ubi acumen tuum? ubi cerebrum? ebrius credo iſta effudiſti, aut ſomniaſti planè. Aut ſi lenius agere velimus: Miror cur iſta dixeris aut cogitaveris: Aut: Non poſſum ſatis mirari, quomodo iſta tibi homini ſolertiſſimo & doctiſſimo in mentem venire potuerint: Sed nullus hominum eſt, qui non alicubi aberret &c.

Concluſio. Ego igitur, ut iſti orationi aſſentiar, nullo modo adduci potero, quæ à tot præclariſſimis viris, graviſſimis ſententijs, tam conſtanti omnium opinione, ipſis pene oculis, auribus ac ſenſibus noſtris diſſentit quam longiſſimè.

LOCVS TERTIUS CONFVTATIONIS:

Impoßibile, Τὸ ἀδυνατον.

Impoſ-

1. Quid sit impossibile. Genera duo 1. & 2.

IMPOSSIBILE est 1. cujus contrarium necessariò verum est: ut, bonum virum fallere est impossibile, quia necessarium est, ut, qui bonus est, sit verax 2. jtèm Impossibile est, UBI nulla adest facultas aut potentia, quâ vel opus fieri, vel positi authores opus illud efficere valeant.

2. Quomodo possimus uti contra adversarium. 1. in 1. genere ἀδυνάτου.

LOGICUS simpliciter negabit illud quod impossibile est. ORATOR hic poterit exaggerare sententiam contrariam, & hujus veritatem. e. g. Si adversarius dixerit, Manum sibi ipsum afferre licitum est. Sumere poterimus oppositam sententiam: Sibi ipsum afferre manum prohibitum est. Hic dicas: quanta sit authoritas divinæ legis, & præsertim hujus legis de homicidijs, quam Deus ipse toties promulgarit, tum graves constituerit pœnas, ne homicidia fierent: Idq; propter singularem erga genus humanum amorem &c. ITEM adducantur pænę divinæ homicidij: TUM allegentur leges humanæ, Imperatoriæ, Nostrates, peregrinæ, omnium temporum, nationũ &c. ITEM exempla suppliciorum: DEINDE monstretur contrarietas: Cũ his legibus divinis, & humanis quomodo poterit conciliari, quod dixit adversarius meus; licere sibi ipsum manus inferre: ET augeatur hoc, quod ausus sit leges abrogare quodammodo hac suâ sententiâ: ET quòd salva debeat esse legum authoritas. DEMUM concludatur, adversarij istam sententiam non esse ferendam.

2. in 2. genere ἀδυνάτου. Major propositio.

II. Si impossibilitas accidit ex Impotentia quadam authoris, aut ipsius operis difficultate, jtem poterit locus communis tractari, quòd ista, quæ viribus nostris effici non poterint, non sint suscipienda: Prudentis hominis est, antequam suscipias, cogitare, num sufficiant vires, ne & sumtus atq; impensæ, & reliquæ operæ frustra adhibitæ tibi dolorem, alijs risum, & tui contemtum concilient &c.

Minor.

Loco MINORIS monstranda est illa impotentia, quòd sit ineptus author; & in circumstantijs omnis generis difficultates & impedimenta producantur, undè perspicuè demonstretur, non posse fieri, vel impoßibile esse factum. Aristoteles lib. 2. Rhet. c. 19. locos habet aliquos universales, unde probetur, præsens factum esse poßibile; jubet ex ijsdem elicere locos τοῦ ἀδυνάτου, vel unde probetur factum esse impoßibile, qui hi poterunt esse.

Loci ἀδυνάτου ex Aristotele deducti.

1. Ex Contrario: Si enim unum contrarium fieri necesse est, alterum contrarium fieri impossibile est. Si necesse est nos vinci, vel hostem vincere, impossibile erit nos victores redituros. Hoc loco sic utimur: Demonstramus necessarium esse, ut hostis vincat; tantas esse vires; tàm oportunum locum.

2. Ex Simili: Si qua similis res olim non fuit suscepta, vel fieri non potuit, aut negocium aliquod simile fieri non potest: hæc producantur, & inde concludatur non posse, neq; nostram rem illam fieri aut factam esse.

3. Ex faciliori: si facilior quædam res fieri non potest aut poterit, hæc producatur.

4. Ex eodem loco: si per artem, & diligentiam, & magnum apparatum, & auxilium fieri non potest aut potuit, multò minus sine istis. Isti apparatus & auxilia, si adsint producantur; si non adsint fingantur. e. g: Si esses Alexander Magnus, & haberes tàm fortem militem, & eum successum, & si hic & hic te juvaret, & si hoc vel hoc adesset, si esset in te ea industria, quæ nunc abest, tamen nihil efficeres.

5. Ex eodem loco: quod meliores, & aptiores, prudentiores, fortiores &c. non potuerunt facere, nec nos poterimus.

6. Ex principio vel causâ: Si hoc unde rem primùm aggredi debemus, impossibile est vel non est in potestate nostra vel amicorum, tota res erit impossibilis. e. g: Si velis ædificare, habeas locum, materiam, artifices: sed desit pecunia, nihil effeceris: Item, si habeas navim, nautas, omnia reliqua necessaria, nec velit afflare ventus, non poteris navigare.

7. Ex eventu: Si principia quidem & causæ plurimæ sint in nostrâ potestate, sed non eventus, imò hunc planè non possimus consequi, tota res est impossibilis.

8. Ex priori, ratione temporis: Si, quæ antecedunt tempore necessariò, non possunt fieri, neq; nostrum negocium poterit fieri tempore posterius.

9. Ex odio naturali: Quæ naturâ horremus & fugimus, videntur impossibilia, ut Parricidium. Cic. pro Rosc.

10. Quorum efficiendorum nullus extat modus aut ratio. ut: Hanni-

Hannibal alpes transeundi non habebat modum aut exemplum, itaq; videbatur hoc Romanis impoſsibile.

11. Ex parte: Si una aliqua rei pars maximè neceſſaria erit impoſsibilis, tota res erit impoſsibilis.

12. Ex genere & ſpecie: ſi genus eſt impoſsibile, etiam ſpecies: & ſi ſpecies, etiam genus. ut: Si impoſsibile tibi literas diſcere, neq; Philoſophiam diſces. Et ſi ad Philoſophiam ineptus es, univerſim ad literata ſtudia ineptus es.

13. Ex relato: Si alterutrum relatum impoſsibile eſt, etiam alterũ.

Miror igitur, & vos credo mecum mirari, quòd Adverſarius meus affirmare auſus ſit, quod tamen intellexiſtis planè fieri non potuiſſe propter hanc vel illam cauſam &c. *Concluſio.*

QVARTUS LOCUS.

Ἀνακόλουθον inconſequens vel non-cohærens.

Consequentia facti videtur eſſe facti probatio, vel quando allegantur circumſtantiæ, Cauſa, Locus, Tempus, Perſonæ &c. facto convenientes, unde fit veriſimile, rem ſic geſtam eſſe uti narratur: itaq; *ἀνακόλουθον* & Inconsequentia eſt, quando circumſtantiæ non ſatis idoneæ aſsignatæ ſunt facto, non convenit perſona, locus, tempus, modus, cauſa, neq; ipſæ rei geſtæ partes cohærent. *Quid ſit Inconſequens.*

Circumſtantias ſuprà in ſecundo progymnaſmate expoſuimus: Eę in præſenti negocio diligenter ſunt cogitandæ, & tentandum num ex his aliquid contra adverſarium & hujus ſententiam poſsimus colligere. e. g. Narraverit adverſarius aliquod factum; laudaverit & repræhenderit, vel conſuluerit aliquid eſſe faciendum; vel accuſaverit aliquod factum, & dixerit injuriam eſſe, & hac vel illâ pœnâ vindicandam &c. (hæ enim ferè ſunt controverſiæ oratoriæ) hic ſic confutare poterimus ex præſenti loco, ut percurramus circumſtantias, conſideremus perſonam ejus, qui dicitur author facti, item Oratoris, hujus originem, educationem &c.; & hinc argumentemur ex ſingulis iſtis locis, & locorum partibus. e. g. *Quomodo utamur hoc loco.*

Qui ex obſcuris parentibus natus, obſtante re anguſtâ non facilè tanta audent & tam præclara facinora. *Uſus Logicus. Syllogiſmus Dialecticq, vel Enthymema. Major.*

Hujus quem tu prædicas, vel nimis extollis, novimus parentes

obscuros & pauperculos; & facinus certè magni & heroici animi est.

Conclusio. Igitur non persuadebis, quin credamus aut non gesta esse ab isto, quæ tu commemorasti; aut nimis multa à te afficta esse, quibus factũ istud pingeres quasi & fucares.

Usus Oratorius. ORATOR ista prolixè & pluribus proponet; potissimum autem illæ circumstantiæ sunt excutiendæ, quas adversarius enarravit, si enim ex his poterit aliquid concludi contra adversarium, firmius erit: Erit enim signum quasi adversarius turbatus, quòd causæ diffideret; imprudenter sibi contradixerit, aut ista, quæ objici facilè poterant, non providerit: Quod est vel malitiæ, vel insignis imprudentiæ & ignaviæ argumentum, & in odium & contemtum adducit adversarium. ITEM cogitandum, an alibi, alio loco, & tempore vel ipse adversarius, vel amici saltem, socij, vel ejusdem ordinis homines &c., aliquid senserint vel dixerint, quod sit à tuis partibus contra adversarium. Hic poterimus in locum communem digredi. e. g. hunc: Mala causa non potest sic callidè defendi, quin alicunde appareat dolus, quia dum nimis sollicitus est author in fraudibus istis dissimulandis, sæpè præ conscientiæ nimium trepidantis tremore, manifestissima quælibet præterit, imò ipse prodit uti miles iste apud Poëtam, cum clypeo caput vult tegere, latus relinquit nudum hosti. Aut alius Locus Communis assumatur.

LOCUS QVINTUS.

Τὸ ἀπρεπές *Indecorum.*

Quid sit decorum. DECORUM est quod decet vel ornat authorem, i. e. honestum est, & à virtute fluit: Virtus enim & decorum æquè latè patent, i. e., virtus efficit illa quæ decent, & hæc fiunt atq; eliguntur à virtute. Sic igitur INDECORUM erit turpe & inhonestum, & à vitio quodam profectum. Virtus multipliciter dicitur: (Igitur & vitia, consequenter etiam Decorum & Indecorum) primùm de habitibus Intellectualibus. Deinde Moralibus.

Habitus intellectus sunt quinq; illi, Sapientia, Scientia &c. & horum contraria. VEL: si populariter loqui volumus: Virtutes intellectus sunt Eruditio, Cognitio Philosophiæ, Juris, Medicinæ, Theologiæ, Prudentia Politica, Peritia rerum in vita communi. Sic

VITIA INTELLECTUALIA erunt habitus istis oppositi, Ruditas, ignorantia Philosophiæ &c. Imprudentia, Imperitia rerum in vita communi.

MORALES habitus alij sunt Universales, alij Proprij singulorum ordinum. UNIVERSALES sunt isti ex Ethicis noti, undecim virtutes morales, & his opposita vitia. Quibus possunt adjungi virtutes Christianæ & harum opposita vitia, quales sunt Pietas, religio, Charitas Christiana, Sobrietas, Castitas, Misericordia &c. PROPRII singulorum ordinum sunt illi habitus, qui decent vel dedecent singulos hominum ordines: Sunt enim hujusmodi mores aliqui, ut alia decent Juvenem, alia Puerum, alia Virginem, alia Matronam, alia Virum, alia Senem, alia Militem, alia Studiosum, alia opificem, alia Magistratum, alia Civem &c. Sic etiam alia atq; alia dedecent singulos ordines.

Sic igitur decorum erit, quodcunq; secundum virtutem aliquam ex dictis fiet: INDECORUM erit, quodcunq; contra virtutem aliquam aut officium dictorum ordinum pugnabit, & à vicio aliquo proficiscetur: & inversim quod tale est, erit Indecorum. *Quid sit indecorum.*

Loco isto saltem in his controversijs poterimus uti. 1. Si negemus rectè factum esse, vel rectè fieri posse. 2. Si negemus factum esse, vel fieri posse. IN priori controversia directa est conclusio: *Usus contra adversariū in duplici cōtroversia. In 1. controversia. 1. Syllogismus Logicq.*

Quæ sunt indecora, & à vicio proficiscuntur, non rectè fiunt.

Hoc tale est factum, pugnat contra hanc vel illam virtutem, non decet virum adolescentem &c,

E. Non rectè fit, est reprehendendum.

Orator hoc dicat prolixè. IN posteriori controversia si negetur factum esse vel fieri debere, ex hypothesi concludemus, vel assumtâ Propositione hac; Authorem facti, vel, qui debet facere, esse hominem prudentem & bonum, Et tunc sic concludimus: *Usus oratorius. In 2. cōtroversia.*

Facta indecora, quæ fiunt contra virtutem, non cadunt in virum prudentem & bonum. *Syllogismus Logicus.*

Factum hoc est turpissimum: Noster est vir bonus & prudens.

E. in Nostrum non debet admitti istius turpis facti suspicio.

Orator majorem prolixè proponet. Loco Minoris Propositionis dicet primùm de Prudentia istius hominis authoris, vel qui debet facere. *Usus Oratorius.*

cere. Tùm de varijs virtutibus, nisi id antè notum & à nobis dictum. Item apud auditores ipsos quibus consilium damus, vel quos dehortamur, non opus erit probare, sed saltem commemorare ipsorum prudentiam & virtutes.

Deinde monstrandum est, quàm turpe sit hoc factum, vel probanda ejus turpitudo. Quod sic fieri poterit, si percurramus classes istas, vel distributionem virtutum & viciorum, & monstremus quomodo hoc factum dedeceat eruditionem; vel: sit non ab eruditione, sed turpissimâ ignorantiâ profectum; pugnet contra Philosophiam, & sit argumentũ quod author hanc ignoraverit &c. 2. Quomodo contra mores universales, Fortitudinem &c.; quàm sit hoc ignavissimum factũ, & illiberale, & scurrile &c: 3. Contra pietatem; Contra Christianam charitatem; sit pessima immisericordia; & indigna homine Christiano. 4. Demum monstremus: quomodo pugnet hoc factum contra virtutem, & officia singulorum ordinum. Ubi illi ordines tantùm erunt considerandi, quorum ipse author fuerit. e. g.: Si est Juvenis, si miles, si Germanus, si à præclaris majoribus, ex nobili familia &c. dicatur hujusmodi quid: Esse contra verecundiam, quâ deperditâ ipsa adolescentia etiam, vel omnis de ea spes perdita & corrupta est. Vel dicatur esse contra Fortitudinem, quæ est propria militis; Item: esse signum summæ imperitiæ in re militari, quod turpissimum crimen est in milite; Vel dicatur: esse signum animi degeneris, ignavi ac mollis, Quod insigne probrum est si objiciatur homini nobili, qui ut titulis & loco: jtà etiam virtute debet reliquos antecellere: & ut nominis & dignitatis à majoribus suis hereditatem accipit: jtà etiam virtutum hæres debet existere.

LOCUS SEXTUS.

Τὸ ἀσύμφορον *Inutile.*

Quid sit utile. *Quid inutile.*

Utile & Inutile videntur hic universaliter sumi. Utile pro omni eo, quod movet hominem ad agendum, vel: pro quolibet fine actionis. Sic Inutile, opposite: 1. Contradicenter vel privativè pro omni eo quod ineptum est ad movendum hominem. 2. Contrariè pro omni eo, quod absterret ab actione. Sic igitur Utilis quinq; sunt partes:

1. Ho-

1. Honeſtum.
2. Jucundum.
3. Utile propriè ſic dictum vel Lucroſum vel Commodum.
4. Facile.
5. Neceſſarium.

Partes utilitatis quinq;.

Quæ enim ejuſmodi ſunt, ſunt fines actionum, vel, his moventur homines ad agendum : &, quibus moventur homines, ſunt talia.

Honeſtum.

HONESTA ſunt, quæ pertinent ad aliquam virtutem : Et ſic inhoneſta, quæ pertinent ad aliquod vitium, de quibus in quinto loco dictum eſt.

Jucundum.

JUCUNDA ſunt, quæ ſunt grata vel animo, vel ſenſibus. Videatur primus Rhet. cap. 11.

Lucroſum vel commodum.

UTILE propriè ſic dictum, vel lucroſum vel Commodum eſt, quod efficit, vel, quo juvante aut mediante poſſumus acquirere omnis generis bona.

Bonorum diviſio.

Ea bona alia ſunt Publica alia Privata. PUBLICA; ut pax, & alia, quæ ad incrementum & ſalutem Reip. pertinent : PRIVATA Alia pertinent ad animam ; ut felicitas, virtutes : ALIA ad corpus ; ut robur, velocitas, venuſtas, valetudo &c. : ALIA Externa ſunt ; ut amici, pecunia, poſſeſſiones, honores &c.

Quod igitur efficit aliquid hujus generis bonorum, eſt utile, & inverſim.

Modi efficiendi, vel, Utilis.

Iterum efficere multis modis dicitur: 1. Quod producit, & quidem vel principaliter, vel adjuvando ſaltem : Item ; quod conſervat: Item ; quod auget & ornat : Item; quod conjunctum ſaltem eſt : Demum : quod, Contraria his mala prohibet, impedit, tollit, imminuit, disjunctum eſt ab illis malis.

Facile *eſt, quod effici poteſt.*

1. Brevi temporis morâ ;
2. Sine magno conatu ;
3. Sine multis impenſis ;
4. Sine ullo dolore ;
5. Sine ullo incommodo ;
6. Noſtrâ ipſorum operâ &c.

Necessarium *est.*

1. Quod cogimur facere aut vi, aut à Magistratu, Deo &c.:
2. Quo naturâ invitamur;
3. Sine quo non possumus tueri vitam, felicitatem, aut aliud magnum bonum:
4. Quod unicum est medium ad bonum aliquod quodlibet:
5. Sine quo non possumus finem nostrum consequi.

Inutilia *igitur erunt,*

I. PRIVATIvè vel contradicenter, quæ
1. Sunt non honesta.
2. Non jucunda.
3. Non lucrosa, quæ non efficiunt, neq; adjuvant, neq; augent &c., bona vel publica vel privata.
4. Non facilia.
5. Non necessaria.

II. CONTRARIè, quæ sunt,
1. Turpia.
2. Injucunda vel Molesta &c.
3. Damnosa, vel Incommoda, vel noxia.
4. Difficilia.
5. Libera, liberi arbitrij, quæ non pertinent ad vitam, aut aliud magnnm bonum: ubi plura suppetunt media: sine quibus possumus ad finem nostrum pervenire.

Singulę istę partes, & harum subdivisarum partes suppeditabunt singula argumenta, quæ oportebit in Enthymemata resolvere; DEINDE prolixè tractare & oratoriè, ut in reliquis locis præscriptus est modus. *Usus contra adversariũ.*

DE SOLUTIONE ARGUMENTORUM adversarij oratoriâ.

LOGICUS quomodo solvat objecta argumenta notũ est. Dicet,
1. Non esse conclusionem contra θέσιν:
2. Aut, Non esse Syllogismum in forma; & sic nullam esse consequentiam. Et hoc probat ex conditionibus Syllogismorum.

3. Aut

3. Aut ostendet, Propositiones unam vel alteram non esse veram, vel simpliciter, vel secundum Quid.

Ad ENTHYMEMA dicet, Majorem esse particularem in prima figura, jtem, Minorem esse negativam in secunda figura.

Ad EXEMPLA dicet: Conclusioné esse universalé in tertia figura.

ORATOR aliter solvit. Modi autem principes duo sunt 2. Rhet. cap. 25. 1. PER Antisyllogismum, vel contrariam probationem, vel contra argumentando. 2. PER Instantiam vel Objectionem. *Modi solutionis duo.*

ANTISYLLOGISMUS est, quando vel ipsam conclusionis oppositam Propositionem, relictis adversarij Probationib9, confirmamus nostris quibusdam rationibus; vel etiam ipsas propositiones adversarij contra argumentando evertimus. e. g. sit thema: Ebrietas est laudanda. Quod ille sic probat: *Antisyllogismus.*

Quod viri magni & Principes sectantur hoc certè laudandum est.
Ebrietatem sectantur viri magni & Principes. E. est laudanda.

ANTISYLLOGISMUS probabit, quòd Ebrietas non sit laudanda,

Aut:

Quod viri magni sectantur, non semper esse laudandum:

Aut:

Ebrietatem non sectari viros magnos.

Antisyllogismi isti fiunt ex dictis confutationis locis.

INSTANTIA vel Objectio est Propositio Propositioni opposita. PROPOSITIO id est, pars Syllogismi. OPPOSITA, scilicet secundum formam per differentem qualitatem: PROPOSITIONI i. e. tali enunciationi, unde ista thesis, cui objicitur Instantia, necessariò sequitur. e. g. SIT THESIS: *Instantia.*

Ebrietas est laudanda.

Objectio est.

Vitium non est laudandum.
E. &c.

Opposita propositiones.

Vitium est laudandum. E. ebrietas est laudanda.	*Instantia* / *Thesis* / *ista*	Vitium non est laudandum. E. ebreitas non est laudanda.

Instantia quadruplex.

Objectio est quadruplex:

1. Ex eodem.
2. Ex simili.
3. Ex contrario.
4. Ex præjudicatis vel opinionibus.

Instantia ex eodem.

OBJECTIO ex eodem est, quando retinentur ijdem termini, Major & Minor. Et iterum duplex est: Universalis & Particularis.

Universalis

UNIVERSALIS est, quando assumitur terminus medius, qui potest prædicari de nostro minori affirmativè, & de quo noster major terminus potest prædicari universaliter, sed diversâ qualitate, quàm positus est in θέσει. Ut si sit thesis: Ebrietas est fugienda: Instantia erit:

Quod Principes sectantur non est fugiendum. Potest enim subsumi:

Ebrietatem Principes sectantur.

Ergo &c. Sin sit thesis: Ebrietas non est fugienda: Instantia erit:

At Vitium est fugiendum. Potest enim subsumi.

Ebrietas est Vitium.

Ergo &c.

Hæc instantia semper fit in prima figura. INSTANTIA PARTICULARIS est quando assumitur medius terminus, de quo noster minor potest prædicari affirmativè, Major autem diversa qualitate, ac positus est in thesi: Sit thesis:

Particularis.

Ebrietas est laudanda; INSTANTIA erit:

Ebrietas Noachi non est laudanda; POTEST enim subsumi:

Ebrietas Noachi est Ebrietas.

Hæc instantia semper fit in tertia figura.

Instantia ex simili.

INSTANTIA ex simili est. e.g. Si dicam: At ignavia & reliqua vitia non sunt laudanda, quomodo igitur ebrietas?

Instātia ex contrarijs.

Ex contrario instantia est, si sumam terminos, quæstionis terminis contrarios. e. g.

Temperantia est laudanda.

E. Ebrietas non est laudanda.

Vel:

Ebrietas eſt vituperanda.

E. Non eſt laudanda.

Ex præjudicatis vel opinionibus fit Inſtantia, ſi allegentur leges; ſententiæ doctorum virorum; conſuetudines; & ſimilia, contraria theſi vel ſententiæ adverſarij. e. g. Omnes judicant eſſe turpiſſimam ebrietatem. PITTACUS legem conſtituit, de duplici pœna ſumenda, ſi quid ab ebrio homine commiſſum fuiſſet. *Inſtantia ex præjudicatis.*

AD Enthymema dicet orator: AD Majores quidem Propoſitiones; non univerſaliter ſe rem ſic habere: Et afferet Inſtantias ſingulares, vel exempla diſſimilia. AD Minorem verò dicet; Non ſic rem ſe habere.e.g. Negociũ illud non eſſe impoſſibile, non paradoxon &c. *Solutio Enthymematis.*

AD Exempla dicet; vel: Noſtrum eſſe diſſimile allatis; vel: Etiamſi aliquando ita fiat, vel alicubi acciderit, non tamen neceſſariò ac ſemper fieri. *Solutio exempli.*

DE ELOCUTIONE, ET APPARATU *quodam Solutionis.*

SOLUTIO, item dicta Confutatio, eſt reſponſio ad opiniones & argumenta noſtræ ſententiæ adverſa, occupat plerunq; locum poſt abſolutam confirmationem. Hic enim ſolent ordine argumenta præcipua nobis objecta refutari ut in orat. pro lege Manil. Licet tamen etiam interſpergere in confirmatione: ut ubi pro noſtro aliquo argumento diſputaverimus hic rationem aliquam adverſarij cum illo argumento noſtro imprimis pugnantem, repellamus, & alibi aliam, quod facit Vlyſſes apud Ovid. ult. lib. Metamorph. *Quid ſit.*

ALIA SOLUTIO eſt argumentorum objectorum. Si prior adverſarius dixerit, aut aliàs nobiſcum contenderit. Alia eſt eorum quę nobis videntur objici poſſe, aut audivimus objectum iri & hanc objectionem vocant propriè occupationem, vel præoccupationem; Et ex hoc poſteriori genere ſæpe fiunt exordia, & primi Ingreſſus ad orationem ſcilicet ut ſiniſtras opiniones auditorum de oratore & præſenti negotio: item obtrectationes & calumnias adverſariorum ſtatim in initio orationis proponamus & diluamus. Item occupatio quędam paucis abſolvitur, una fortè aut alterâ periodo e. g. Etiamſi quæ *Genera.*

turpitudinis speciem aliquam habent, nullo modo, ne animo quidem, tantum abest, ut ipso opere concipienda ac committenda sint; tamen neq; hoc negari potest, si non omnem tamen summam culpam saltem abesse ab eo facinore, quod necessitate quadam adactus perpetraveris. Prolixè institui potest assumtis partibus vel pluribus vel paucioribus plenæ solutionis, de quibus nunc porrò.

Partes. PARTES solutionis vel occupationis vel confutationis in docendo & ab exercentibus hæ observari possunt: 1. Præmonitio. 2. ipsa objectio vel adversaria sententia. 3. Ratio aliqua vel confirmatio. 4. nostra sententia. 5. solutio rationis adversæ. 6. Ratio nostra opposita. 7. Expolitio. 8. Conclusio seu Enthymema, seu epicherema.

1. pars præmonitio. PRÆMONITIO breviter admonet nos jam allaturos argumenta adversariorum. e. g. Sit Thesis: An legum mutatio & consuetudinum in Repub. sit licita, præmonitio erit. e. g. Veniam nunc ad ea, quæ pro defensione hujus contrariæ sententiæ dici possunt; vel sic, Dicat aliquis &c. vel sic, verum non pauca huic sententiæ nostræ adversantur; vel sic, Neq; etiam illud dissimulandum est A. graves esse nostræ sententiæ adversarios, tum multis eam rationibus oppugnari, quæ ita à me disputabuntur ut nullam earum, quas quidem memoria suggesserit, recensendo præteriturus sim: tum quod nemini non licere puto quid de singulis sentiam, liberè indicabo: vobis existimandi & arbitrandi libertatem relicturus.

2. pars objectio. OBJECTIO, si adversario est prolixè tractata, in pauca contrahenda est, nempe in unum vel alterum comma vel membrum. e. g. Quæ igitur eos ratio commovet? Hoc mihi videntur dicturi esse, quæ prisca sunt, rudiora esse præ nostris temporibus.

3. pars, ratio dubitandi. CONFIRMATIO est vel prosyllogismus vel altera propositio Syllogismi vel nova quædam ratio. PROSYLLOGISMUS e. g. Nam in eam sententiam Poëta quidam adduci posset: Prisca juvent alios, ego nunc me deniq; natum Lætor. ALTERA propositio, e. g. Hæc lex vel consuetudo de qua disputatur est à multis usq; accepta seculis. NOVA probatio. e. g. Etenim leges ab hominibus introductæ, dubium non est, quin ab hominibus abrogari possint. Notetur quod hæc pars aliquando separatim disputetur, postquam discussa est prima objectio.

E. g. à quibus me longè dissentire fateor planè. Vel sic: Ego verò sum vel maneo in eâ sententiâ, quàm longissimè arcendum esse à Repub. istum morem quo liceat temerè legibus aut consuetudinibus publicè usurpatis contradicere aut derogare &c. *4. pars, nostra sententia.*

SOLUTIO est responsio ad probationem adversarij: Ea potest variè concipi: sed hi sunt principales modi: 1. per Antisyllogismum i.e. contra argumentando: si opponamus nostram aliquam rationem pro thesi, & dicamus hanc non minus fortem esse, imò fortiorem. Id quod apparere debet ex perspicuitate argumenti aut numero. e. g. Prisca sunt magis rudia recentioribus, interim sunt multorum experimentis explorata quod utilia sint Reip. unà cum ipsâ Repub. extiterunt: ab ijsdem authoribus accepta unde ipsa Respublica ad nos derivata est: omnium suffragijs & sententijs approbata, summâ pace & tranquillitate retinentur. Cum quæ recens à novis authoribus inventa sunt, fortassis non sine tumultu & turbatione, certè sine contradictione multorum introduci non possunt. *5. pars, solutio.*

SECUNDUS modus solutionis per instantiam sive dissimile exemplum, quod potissimum datur ad propositionem majorem. Et solent ferè oratores multa exempla dissimilia congerere: quibus præmittitur universalis propositio. e. g. Quæso vos A. si omnia illa ex hominum usu & memoriâ tanquam inepta & rudia abolenda essent, quæ ab antiquis usq; seculis accepimus: an quicquam in hoc orbe terrarum elegans & excultum, aut in vita necessariũ retinere possemus? (Hic subijcitur enumeratio) Ædificia, muri, ipsa oppida adeò, & omnes hominum societates disturbandæ essent: sc. quia antiqua sunt & priscis seculis usurpata. Nullus conjugijs liberorum educationi victui quærendo usus aut locus esset, scil: quod ea cum ipso mundo cœpisse accepimus. Non legum deniq;, non honestatis, non virtutis aut pietatis ulla ratio habenda esset, quod nempe harum rerum æque priscum cum ipsâ naturâ universa sit initium.

TERTIUS modus solutionis per Inficiationem vel negationem. Hæc vel fit ad majorem vel minorem propositionem. Si majorem inficiatus fueris additur ferè indignatio & exclamatio quædam tanquam super sententiâ manifestè absurdâ vel impiâ: vel si hoc fieri nequit fit abductio ad absurdum. e. g. Quid est, omnia ea quæ prisca

sunt ruditatis & stultitiæ insimulare? nisi majores suos stultos,& seisum solum sapientem facere? Quorum illud extremę impietatis,hoc intolerandæ arrogantiæ, utrumq; summæ dementiæ est. Sin inficiatus sis propositionem minorem addenda est historica narratio de origine legum repræhensarum e. g. Nego istas leges adeò priscas esse, quia hoc aut illo anno sunt latæ.

QUARTUS modus solutionis per distinctionem alicujus termini ambigui e. g. Aliud est legem priscam esse,aliud veterem. Prisca enim dicunt quæ ab ultimis seculis accepta sunt, de his omninò hoc concedendum videtur, ut in hominis, jta etiam Rerump. ætate, esse quasi quandam infantiam & ruditatem ut omnes illæ Respub. paulatim maturiores tandem rectius discant sapere. Verum non statim ad illa prima initia Reipub. sunt reijcienda & sic abroganda, quæcunq; nostram fortè memoriam excedunt &c.

QUINTUS modus per inversionem. Inversio est si propositio major contrario modo accipiatur, e. g. Prisca sunt abroganda, dicis propter ruditatem, INVERSIO, jmò magis retinenda censeo quę antiquitatem sapiunt propter authorum & ipsius adeò antiquitatis venerationem. Hic potest adduci ratio vel probatio à sapientiâ & integritate morum quæ tribuuntur priscis seculis, Creduntur enim hæ majores fuisse olim quam nunc.

6. pars, ratio nostra.

RATIO nostra potest undecunq; peti e.g. à dissimili. Alia enim ratio ollarum & rerum utensilium, alia legum & consuetudinum in Rep. Illæ in usu vilescunt & tandem fractæ abijciuntur: hæ diuturnitate splendorem illustriorem colligunt, majoriq; reverentiâ ac religione prosequendę sunt &c.

SECUNDA ratio à causa efficiente legum: Non enim leges hominum quoddam inventum sunt, ut multis videri possent, sed à Deo opt. Max. profecta beneficia: ut Deo bellum inferre videantur qui leges sibi oppugnandas sumunt.

TERTIA ratio à fine. Porrò sive à Deo sive ab hominibus sapientibus divino tamen instinctu leges derivatæ sint: Hoc tamen certum est animam eas esse quasi universæ Reip. undè omnis tranquillitas, rerũ copia, & omninò felicitas nostra omnium dependeat. Conclusio. Ut non majori damno de his quicquam quam de legibus detrahi possit.

HÆC

Hæc amplificat argumentum aliquod vel rationem aliquam noſtram. Amplificat i. e. oſtendit quanti hoc ſit precij, quàm magnũ pondus & quantam vim contineat. *7. pars, expolitio.*

Aſſumemus ultimam rationem amplificandam. 1. amplificabitur conglobatis vel enumeratis incommodis evenientibus inde, ſi leges negligantur. An enim illa non dico felix Reſpub. ſed omninò Reſpub. & hominum quædam ſocietas videri poterit ubi ſublato legum metu impunè eſt quælibet ſcelera admittere? ubi injuriæ nullis legum repagulis coercentur? ubi fas verſum atq; nefas? ut liceat nunc illo loco Poëtæ uti:

2. Amplificabitur à comparatione minorum. Quæ enim ſocietas eſſe poteſt non dico Imperiorum; quæ quò ampliora ſunt, eò majori legum diſciplinæq; ſeveritate eadem munienda eſſe ſatis conſtat: non dico regnorum aut principatuum, quæ ut vivâ lege ſc. principe carere non poſſunt, jta ſi ſcriptis legibus ab illo magiſtratu ſuo non regantur nihil certius quam propinquũ exitium metuere habebunt: non dico maximarum civitatum, quæ nulla unquam extitit, quin felicitatis ſuæ incrementa legibus ſe debere agnoverit: ſed quæ ſocietas unquam fuit vel viliſſimi pagi, vel familiæ etiam alicujus unius licet tenuiſſimę, quæ ſi non à prudente patrefamilias certo quodam ordine & legibus q. regeretur, brevi peſſum iret?

3. Amplificabitur jtem à comparatione minoris aliâ. Cum enim non ſatis tuti nobis eſſe videamur, ſi portus expugnationi hoſtili patentes habeamus: ſi mænia adverſus vim non ſatis communita ſint, ſi reliquis in vitâ neceſſarijs non ſatis inſtructi ſimus, quid facere & quo animo eſſe oportebit, ſi legibus non ſatis proviſum ſit Reip. quibus melius ſanè & firmius civitates quàm alijs ullis ſtructionum inſanis molitionibus defenduntur.

Conclusio colligit tandem pro ſententia principali ſtandũ eſſe; neq; quicquam momenti habere quæ contra objecta ſint e. g. Quare A. omni operâ obtinendum hoc eſt, ut ſalva ſit legum authoritas maximè cum illæ lædi non poſſint, quin etiam Reip. ſalus & incolumitas periclitetur. *8. pars, Cõclusio.*

LOCI CONFIRMATIONIS.

Hos item Sex habet author noster, oppositos superioribus. 1. Perspicuum. 2. Verisimile. 3. Possibile. 4. Consequens. 5. Decorum. 6. Utile.

LOCUS PRIMUS.

Perspicuum.

Unde concilietur orationi Perspicuitas.

Perspicuum est, quod facilè intelligi potest. Oratio erit perspicua, 1. Ex verbis: 2. Ex rebus.

Ex verbis quidem: ut hæc singula sint nota; communis usus; non longè translata; non ambigua; perspicuæ significationis; & in compositione vel constructione sint ordine posita; non nimis longę Periodi texantur; non sit confusa oratio.

Ex rebus autem: ut illæ afferantur, quæ non sint planè ignotæ auditorio. Ignotarum & probandarum afferantur demonstrationes perspicuæ, in quibus demonstrationibus præcipua vis sita est probandi his immoremur; repetamus; omnibus modis desudemus & solliciti simus, ut satis percipiat auditor: in initio dicamus summam dicendorum; in fine repetamus summam dictorum; crebris utamur transitionibus; aut connectamus cum præcedentibus sequentia; utamur ordine, ut, quo quodlibet loco aut tempore gestum est, eo narretur. e.g. Quæ priori loco ac tempore gesta sunt, ea etiam primo loco narrentur &c.

Usus 1. Hoc loco non poterimus uti tanquam medio termino, nisi fortassis in istum locum communem digredi libeat: veritatem per se ipsam licere; non egere fucis & multis verbis; vel: perspicuitatem orationis esse argumentum, quod author sibi sit benè conscius, & nihil monstri alat, dolorum &c.

Deinde loco Minoris dicere poterimus: hanc causam esse perspicuè propositam; non potuisse nos dilucidius.

Et Conclusionis loco: Igitur non esse, quòd dubitent Auditores de rei expositæ veritate.

Usus 2. Præcipuè utemur hoc loco tanquam Præcepto vel adjumento reliquorum locorum. Si in reliquis locis & argumentis proponendis observetur hæc perspicuitas, tunc fortius probabunt: Si non obser-

vetur & obſcurè proponentur probationes, non percipientur; & ſic fruſtra erunt propoſitæ.

LOCUS SECVNDUS.

Veriſimile.

VERISIMILE eſt, in quod conſentiunt vel omnes homines; vel plæriq; ; vel excellentiſſimi, ut, docti, boni, principes &c: & hi quidem vel omnes; vel plæriq; ; vel excellentiſſimi, modò non abhorreat à communi hominum opinione.

Locus communis erit: ſentiendum eſſe cum omnibus: vel cum doctis; excellentibus. *Uſus hujus loci.*

Loco Minoris Propoſitionis oſtendendum eſt, cum quibus & quorum hominum ſententijs conſentiat præſens noſtra.

LOCUS TERTIVS.

Poſſibile.

POSSIBILE eſt, in quo efficiendo vel nullum, vel exiguum apparet impedimentum; Item: quod poſſumus vel noſtrâ facultate efficere, vel amicorum.

Locus communis erit: Ea libenter homines facere, quorum efficiendorum facultas penes ipſos ſit &c. *Uſus.*

Loco Minoris Propoſitionis oſtendatur iſta facultas vel in authore facti, vel hujus amicis; Item fiat Inductio impedimentorum & impoſſibilitatum, & hæ removeantur. e. g. Non video quid potuerit obſtare: non hoc; non illud; non tertium. Ariſtoteles lib. 2. Rhe. c. 19. tradit aliquot Univerſales Locos, unde probetur præſens factum eſſe poſſibile, Qui ibi videantur, & facilè poſſunt colligi ex locis impoſſibilitatis ſuprà propoſitis.

LOCVS QVARTVS.

Conſequens.

CONSEQUENTIA facti eſt, quando allegantur circumſtantiæ, facto convenientes; omnes aptè inter ſe cohærentes &c.

Percurrantur Circumſtantię ſingulę, ſuprà expoſitæ in ſecundo *Uſus hujus loci.*

 pro-

progymnaſmate, ex his captentur Argumenta: Quæ vel directè inde ſumi poterunt, vel per inflexionem, ut ibi docuimus in uſu primæ circumſtantiæ. e. g. Directè ex Patria: Fuit Germanus, quæ natio fortis & bellicoſa eſt: Igitur hic, cum eſſet eâ gente natus, nihil prius habuit, quàm virtute ſe dignum origine ſuâ oſtendere. Sic probatur, aliquem aliquid feciſſe fortiter.

PER inflexionem e. g. A forma: fuit facie venuſtiſſimâ Juvenis, ſed eò laboravit diligentius, ut diſciplinâ & ſtudio vitam à libidine muniret: commovebatur enim illo Poëtæ: Lis eſt cum formâ magna pudicitiæ.

Major propoſitio. LOCO Majoris Propoſitionis locus communis erit quælibet ſententia univerſalis veriſimilis, de illis circumſtantijs concepta: e. g. de Patria: Non minima laus eſt, ex præclara patria natum eſſe; multum facit ad naturam ingenerandam vis ac genius quaſi loci natalis; Item ad virtutem maximum adjumentum eſt, ſi natus ſis in Rep. ubi vigent leges & honeſtas; ubi publicâ conſuetudine atq; exemplo inſtituuntur pueri in omni virtute, eruditione, humanitate. Item per Inflexionem: Non ſemper ex optima natione naſcuntur optimi; Imò ſecundum Proverbium nulla regio eſt, quæ non alat multos ſceleratos. Si laudare velis, cum circumſtantiæ malè ſe habent, locus communis per inflexionem erit: Sæpè etiam ex impiâ & obſcura ac barbarâ gente extiterunt elegantia, honeſta & præclara ingenia.

Minor. LOCO Minoris adducenda eſt circumſtantia illa. e. g. Patria, Parentes, forma &c; & deſcribenda, tum laudanda, vel vituperanda, ut cauſa poſtulabit.

CONCLUSIO talis erit: Igitur Noſter cum ex talibus ſit; cum hæc & hæc habeat; &c.: & Factum cum tali loco, tempore acciderit; & talis adfuerit cauſa, &c. non eſt quod dubitetis de rei commemoratæ veritate.

LOCVS QVINTVS.

Decorum.

DECORUM ſupra definivimus & diviſimus in loco quinto Confutationis.

Uſus hujus loci. Univerſaliter poſſumus uti loco hoc in omni controverſia, ſe-

cus ac

cus ac contrario hujus, INDECORO: Percurrantur igitur illæ Decori partes.

MAIOR erit Commendatio virtutis illius cujuscunq;, unde volumus argumentum ducere: Item Locus Communis: Viri boni student rebus honestis; tali virtuti &c.

MINOR ostendet hoc factum pertinere ad illam virtutem.

LOCUS SEXTUS. *Utile.*

UTILE supra definitum & divisum est. Illæ partes singulę percurrantur, & inde sumatur MEDIUS terminus. *Usus.*

MAIOR erit sententia aliqua de istis partibus utilitatis concepta. e.g. Illa homines libenter sectantur quę sunt jucunda. Item: Necessitati obediendum est: Aut commendatio alicujus istarum partium, unde scilicet voluimus ducere argumentum.

MINOR ostendet hoc factum esse tale, e.g. Honestum, forte, urbanum, jucundum, lucrosum, facile, necessarium &c.


ADMONITIO GENERALIS DE USU horum locorum.

1. In oratoria probatione debemus abstinere à terminis artificum, & loqui sermone vulgi.
2. Locos istos communes non semper adhibebimus, sed varietatis causâ aliquando omittemus.
3. Pręcipuè laboremus circa Propositionē Minorē, ut hęc declaretur & probetur; quia in hac potissima vis sita est probandi, quòd sit vicinior præsenti negocio, & facilior intellectu propter singularitatem.
4. Conclusionem vel quæstionem identidem inculcemus ferè ad singula argumenta, & tædij vitandi causâ alijs atq; alijs verbis, & quidem cum argumentorum quadam summâ.
5. Ordo in illis partibus non debet is perpetuò servari in tractatione, quem nos servavimus in Inventione, sed ferè conclusio primo; MINOR secundo; MAIOR ultimo loco ponitur: & hic iterum conclusio repetitur: quia primùm oportet notum esse, quid velis probare. Deinde potissima vis probandi sita in Minore. Major adijcitur motus causâ. Repetitio fit causâ memoriæ.

SEQUITUR EXERCITIORUM SYLVVLA VEL MATERIES.


ABULÆ definitionem AUTHOR hanc habet: quod sit λόγος ψευδης εἰκονίζων τὴν ἀλήθειαν, Oratio falsa sub imagine exprimens veritatem. Pro hac ARISTOTELIS in commentatione substitutam, Illam Authoris non tactam pòst demum in mentem venit.

Sed de Authoris definitione obiter monueram AUDITORES meos: Videri incommodam, inprimis propter GENUS, λόγος, quod nimis commune vel remotum est, nec explicat quid sit oratio, Fabula. DIFFERENTIÆ, jtem obiter explicatę: falsa, & exprimens veritatem, videntur habere ἀντιλογίαν: jtaq; propter obscuritatem non placebant illæ. Quanquam ἀντιλογία nulla est. Sunt plæraq; in fabulis falsa secundum proximam significationem rerum singulariũ. ut: Vulpes illudebat ciconiæ iterum ab eadem illusa. Hoc falsum. SUNT EADEM VERA, secundum significationem remotam & rerum universalium, & quasi per Syllogismum ab istis singularibus abstrahendarum. ut: Significatur istâ fabulâ, quòd irrisores sępe iterum rideantur. Hoc verum: sed significatur istâ fabulâ δευτέρως, & per Syllogismum colligendum est, ut docetur in commentario. Et habet se fabula ad veritatem, ut imago ad veram rei pictæ ideam: sc. Vera dicitur imago rei pictæ propter similitudinem cum idea: Ita in fabula est similitudo cum universali isto vel sententia. Aristoteles hoc uno verbo complexus est & magis perspicuo, τὸ ποιήμενον fictum &c.



NOMINA EXERCENTIUM.

GErhardus Ramelius N. D.
G Otto Fleming N. P.
Matthias Fridericus à Rammin N. P.
Christianus Hausman Cellens.
Johannes Rochlitz Stetin.
Sigfridus Ludecus Stetin.
Joachimus Maësius Stolp.
Christophorus Riccius Stetin.
Michaël Cöpe Gryphsw.
Philippus Oeslerus Stetin.
Mauritius Butelius Kyritz.
Joachimus Pargovius Stet.
Melchior Schmok Wistoch.
Mævius Volschov Gryphsvv.
Daniel Brockhusius Gryphenb.
Christophorus Crügerus Gryph.
Andreas Venschius Schlav. Pom.
Alexander Christian Dem. Pom.
Casparus Daberman Pasvv. Pom.
Balthasar Simon Caminens. Pom.
Joachimus Spandovius Cam. P.
Christophorus Prangius Grim.
Albertus Prangius Grim. Pom.
Georgius Holstenius Rostochi.
Michaël Sellin, Jul. Pom.
Jacobus Richardus Dam. Pom.
Georgius Magirus Lubecensis.
Petrus Colemannus Stet. Pom.
David Ludecus Starg. Pom.
Jacobus Gerschovius Ancl. Pom.

I.

AUDIENDI SUNT RECTA ET SALUTARIA consulentes. 1. Ethi. c. 4.

Fabula de

HIRUNDINE ET AVICULIS.

EXORDIUM. Laudetur Hesiodi sententia, quæ extat apud Aristotelem 1. Ethi. c. 4.

Optimus ille, potest qui ex se cognoscere cuncta:
Ille bonus, monitis qui aliorum obtemperat: at qui
Ex se nec novit, nec, quæ benè consulit alter
Percipit, admittitq; animo, est ignavus inersq;.

Est utilissima sententia & maximè necessaria, præsertim nostræ Juvenum ætati. Sine enim prudentia vix vivere, feliciter autem vivere nemo quisquam poterit. Et rarissimi sunt, qui ipsi in omnibus norunt rationem vitæ ac consiliorum prudenter, piè, honestè, atq; commodè instituendorum. Audiendi igitur alij prudentiores & ab his addiscenda est prudentia quædam. Eandem sententiam pulchro fabellæ cujusdam figmento, quasi quibusdam Poëticis numeris aut harmoniâ Musicâ, exornavit optimus in ea re artifex Æsopus: dico autem fabulam de hirundine & aviculis &c.

Sequitur FABULA: Narretur,

I. Natura, Mores & consuetudines Hirundinis, & reliquarum aliquarum avicularum, quæ feræ sunt & ruri vivunt: Hirundo est prudens avis &c.

II. Res gesta:

III. Eventus.

IV. Sententia: Hoc erat quod monebat Hesiodus: Optim9 ille &c. Addatur Paraphrasis brevis, Inductio; contrarium; Simile; Exemplum; Sententiæ aliæ; adhortatio, ut libenter discamus ea quæ ad mores & prudentiam pertinent, ne spernamus prudentum hominum consilia ac monita, prȩsertim ea, quȩ in institutione prȩcipiuntur adolescentibus.

QVOD

II.

QUOD FELICITAS HOMINIS NON consistat in vita delicata.

Fabula de

MURE RUSTICO ET URBANO.

EXORDIUM.

I. Horatij laudes.

II. Fabula hæc, cujus author est Horatius continet multum prudentiæ & est lepida, cùm propter figmentum, tùm quòd perstringat quàm commodissimè istorum hominum ignavissimam vitam, qui, quasi ocio nati essent, ventri suo totos se dedunt, delicijs sectandis, epulis & potatiunculis. Cognoscetis: Eam in hac fabula quasi absconditam prudentiam, tum suavitatem & jucunditatem, si hanc per quadrantem horæ attentionem, quam reliquis præstitistis, etiam mihi non denegetis.

IPSA FABULA. Describatur,

I. Natura Musculorum, & quod quidam etiam rure vivant; & Horum Natura:

II. Fingatur Occasio, quâ convenerint mus urbanus & rusticus:

III. Describatur Tempus anni & diei, quibus convenerint:

IV. Describatur Locus, ubi convenerint; & ubi habitaverit mus rusticus:

V. Describatur Res gesta: quid collocuti inter se sint primo congressu; quomodo invitaverit mus rusticus urbanum domum suam; quomodo ibi exceptus sit urbanus ab uxore, à liberis; quomodo & qualem disciplinam domesticam ibi viderit; quomodo uxor apparaverit, quibus tractaret hospitem; quomodo mensa, fercula apposita sint; filij ad mensam oraverint; quomodo hospes sive urbanus mus omnia fastidierit; quæ fuerint colloquia in mensa; quomodo urbanus mus suas divitias & felicitatem prædicaverit; multis modis molestus fuerit hospiti suo rustico, ut secum rediret ad civitatem experiendi eam felicitatem causâ:

VI. ALTERA res gesta: Abeunt in civitatem. Describatur Locus, Tempus.

VII. Perveniunt in civitatem in ædes divitis cujusdam; descendunt in cellam promptuariam. Describatur Cella: ibi erant varia fercula reposita, & vina & vasa ex vespertino convivio; accumbunt in lectulis & stragulis sericis; pulchrè deliciantur; & musculus Rusticus videtur sibi felicissimus esse, & benè potus est.

VIII. Eventus: Servus, jussus ab hero vinum afferre, adest cum magno strepitu; & reserat fores cellæ; comitantur hunc molossi, omnia latratu suo perstrepentes: Hic miseri musculi diffugiunt: Urbanus in isto periculo satis sollicitus est sibi ut prospiciat, tantum abest ut hospiti possit providere: Rusticus mus penè exanimatus est metu; etiam vix effugit in angulo aliquo canes; Istis iterum abeuntibus, valedixit urbano & delitijs; redit ad suam paupertatem tranquilliorem.

Peroratio. Sententia. Delitiæ & voluptatum sectatio pro tempore sunt jucundæ, sed multas creant vitæ molestias.

III.

QUOD FELICITAS HOMINIS NON SIT, honoribus multis ac magnis affici, & summæ alicui potestati præfectum esse.

Fabula PHAETONTIS.

Exordium. Qui literarum characteres elegantius volunt exprimere, solent varios appingere lineolarum ductus; tum bestiolas atq; insecta omnium generum, & hæc quidem ita multa, ut vix inter ea ipsæ literæ appareant. Nec ista ferè quicquam ad figuras ac formas, quas pingunt, literarum; & tamen nescio quomodo mirificè oculos afficiunt, & pulchriores atq; elegantiores ipsas literarum picturas facere videntur. Idem mihi videntur Poëtæ facere fabularum lepidissimis figmentis: Quid enim Poësis, nisi Os quoddam, & Manus Politices? Politicus enim, ad virtutis exercitium adacturus cives suos, Poëtices utitur ad eam rem operâ: & Poëtæ, quasi internuncij aut Legati, mentem Politici vel Magistratus, aut pulcherrimas quasq; de moribus sententias exponunt ipsi suo arbitrio varijs istis figmentorum picturis ac formis &c. Præcipuè excellit eâ in re

1. Laudes Poeseos.

Ovidius:

Ovidius: Mirus sanè artifex, si & eloquentiam & fabularum jucunditatem, ac festivissimam enarrationem cogites &c. In reliquis autem Hujus fabulis maximè illustris est Illa de Phaëtonte, contra hominum quorundam, imò plurimorum stoliditatem excogitata, qui se sic satis felices fore sperant, si ad magnos honores adeundi facultas detur: Quâ tamen re nihil videtur periculosius. Quod docebitur istâ fabulâ si paululum vobis libeat animũ attendere: quod vos iterum atq; iterum oro quam diligentissimè.

2. Laudes Ovidij.

3. Laudes præsentis fabulæ.

Tractatio.

I. Phaëton quis fuerit, ex Ov. lib. 2. Metamorph. fab. 1. &c. Item Phœbus:

II. Res gesta:

III. Fingatur Locus:

IV. Tempus:

V. Modus:

VI. Causa:

Epilogus, Sententia Universalis vel totius fabulæ: Admisceantur crebræ Sententiæ aliæ. Tolluntur in altum, ut lapsu graviore ruant: Non debemus nimis ambire honores & officia, & non nisi illa, quibus pares esse vires nostras exploratissimum habuerimus. Addantur Similia, Exempla &c.

IIII.
QVOD FELICITAS HOMINIS NON CONsistat in multarum opum possessione.

Fabula Ovidiana de Mida.

Exordium. Commendetur,

I. Fabularum usus: Videntur illæ stolidæ esse si superficie-tenus aspexeris, at si penitius & ipsum intra corticem, magna latet Sapientiæ vis &c.

II. Ovidij Poësis: Eloquentissimus est Poëta, tùm venustissimus, & hæc in Phrasi: In Poëmatum verò fictione & variâ picturâ lepidissimus est, quæ propria est Poëtæ virtus &c.

III. Præsens ista fabula commendetur de Mida: Nota sanè, sed digna quæ diligentius enarretur aut consideretur; est contra stolidissi-

mam istam vulgi opinionem conficta, qui credunt nihil esse beatius possessione multarum opum: Quod satis rudem in ipsis animum arguit; & ipsos etiam Midæ, i. e. asini aures, imò cerebrum habere.

TRACTATIO.

1. Personæ
2. Res gesta
3. Tempus.
4. Locus.
&c.

I. Narretur Res gesta cum Mida, & secundum loca vel circumstantias, Narrationis ex secundo Progymnasmate dividatur copiæ causâ: desumi poterit plæraq; saltem materies ex Metamorph. lib. 11. fab. 3. &c.

II. Interspergantur aliquibus circumstantijs gnomæ:

III. In fine vel Epilogo Sententia Universalis apponatur. e.g: Hinc apparet, quanta turpitudo sit opinionis istius vulgaris, Quod divitiæ sint maximum bonorum humanorum, ut multa maxima hominum pars omnia susq; deq; habeant præ divitijs conquirendis: Fiat inductio, quæ bona contemnantur. Sed turpissimi isti sunt & Midæ similes; habent aures vel caput asini; sunt infelices. Ex multis enim calamitatibus non potest eripere aurum, ubi consilio opus est; Vbi alendæ artes liberales necessarium vinculum Reip. illi potius prohibent &c.; ubi vis affertur, illi prædæ sunt non defensioni; & multis modis ridiculi; Adducantur Contraria, Similia, Exempla &c. Instituatur Querela de avaritia nostrorum temporum &c.

V.

FELICITATEM CONSISTERE IN VIRtutis exercitio non habitu.

Vel

PRÆMIUM ET LAVS DEBETVR ILLIS, non qui plurimum possunt aut valent, sed qui præstant virtutem.

INIQVVM LEONIS JUDICIUM DE DISTRIbuendâ inter SE, VULPEM, & ASINUM præda.

Laus præsentis fabulæ.

EXORDIUM. Pulchra est Aristotelis sententia: cum illo homine demum benè actum esse; & hunc felicitatem assecutum, non qui valeat aut possit, sed qui exerceat virtutem; & huic ijdem laudem ac decus viri boni proprium deberi. Quam sententiam pulchre ex-

primit & lepide fabula de societate Leonis, initâ cum Asino & Vulpe venandi causâ, ubi inter Hos convenerat, ut quicquid prædæ obtigisset, inter omnes æqualiter divideretur. Ubi præda capta jam dividenda erat, Leo vix sordes Socijs; Sibi omnem attribuit capturam, non, quòd in præda capienda ille plus operis contulisset, sed quod viribus se valere & plus posse diceret. Quanquam aliorsum potius conficta est fabula, scilicet, ut pingeretur, quemadmodum injuriâ Tyrannorum premeretur hoc jus vel æquissima sententia; scilicet non ijs, qui plus possunt, sed qui præstant majora deberi præmia: tamen placet pro tempore ad eam partem accommodare, ut consideremus iniquissimum esse, si hæc violetur in judicandâ aliorum virtute ratio. Cognoscetis jucunda quædam, lepida, utilia & omninò digna, quibus audiendis per hunc horę quadrantem aures & animos vestros accommodetis.

TRACTATIO.

I. Dicatur dę Natura Leonis in partem pejorem Physicè & moraliter.

II. Occasio fingatur, quâ Leo, Asinus, & Vulpes iniverunt societatem venandi causâ; in hanc societatem cur Vulpem, cur Asinum asciverit Leo.

III. Describatur Natura Vulpeculæ & Asini.

IV. Causa, quæ Asinum & Vulpem moverit ad societatem cum Leone ineundam.

V. Formula fœderis.

VI. Res gesta sive Venatio. Hic fingatur Locus & Tempus. Leo custodivit domi prædam: Asinus exploravit: Vulpes venata est. Quid ceperint prædæ. Jtem: Quomodo post certum tempus dividendæ prædæ causa convenerint.

VII. Eventus: Quomodo Asinus sibi arrogaverit mun s distribuendi prædam, & primò cum Vulpe contenderit de majoribus partibus sibi debitis propter explorationem. Deinde vulpes oratione se defenderit; & evicerit æqualiter dividendas esse partes; prædicaverit suum laborem & studium. Demum indignatus utriq; Leo prędam sibi deberi contenderit, quod, etiamsi nihil contulerit operis, tamen viribus plus polleat, ut si unà venatum abire debuerit, potuerit vel

alterum tantum prædæ solus convehere; sicq; amoverit Vulpem & Asinum.

EPILOGUS vel PERORATIO

Habebit sententiam; Difficilimum est in potestate modum servare, Pleriq; enim potestate armati publicâ abutuntur ad injuriam. Quid enim injustius, quam Leonem otiosum, sociorum periculo, labore & penè sanguine comportata, non postulare, ut æqualiter secum dividantur, sed universa sibi arripere? non enim ille præmio afficiendus est, qui potest aliquid præstare; de alijs mereri; optima gerere, cum sit interim ociosus: sed qui ipso opere virtutem præstat. Addatur Contrarium, Simile, Exemplum & Conclusio.

VI.

QVOD VIRTUS DILIGENTI STUDIO atq; exercitio comparetur.

Fabula de

RUSTICO ADDUCENTE FILIUM in ludum literarium.

EXORDIUM.

I. Commendetur festivitas ea ingeniorum, quæ est in fingendis fabulis; Multi literatissimi viri eo genere delectati sunt, ut aliquando in rebus serijs, plerumq; tamen in ocio & joci causa, fingerent lepidas quasdam fabulas, quibus propter figmentorum ludicra lepos; & propter finem ac sensum, quem continent, sæpè gravissimorum consiliorum, prudentiæ, ac sapientiæ pondera inessent &c.

II. Præsens fabula commendetur.

III. Author nullus certus est: Frischlinus retulit in suam Priscianum vapulantem.

IV. Petatur audientia cum pollicitatione: dicendum fore de rebus jucundis, utilibus &c.

TRACTATIO.

I. De Rusticis. Describantur mores.

II. Dicantur hi occasio fuisse hujus figmenti, quia illi, omnino rudes rerum, minus rectè judicant: Unde Horum moribus similes

sunt,

ſunt, ſi qui ſimiliter ſentiunt, ſcilicet per ocium leviſſimum comparari liberalem eruditionem &c.

III. Præoccupa: Te nihil de iſtis affirmare ſitne res ſic verè geſta, vel non: ſed, uti apud multos extat authores inter jocos, ita te velle narrare.

IV. Finge Locum: Urbem, Academiam: deſcribe.

V. Tempus. Quo anno mundi geſta ſit res: Dic tibi non conſtare; diſſentire enim inter ſe annales ac Chronologos; necdum conveniſſe inter ipſos, quamvis multi tentârint reconciliationem. FINGE Tempus anni, Diem, fortè Sabbathi, Horam.

VI. Res geſta narretur: 1. ANTECEDENTIA: deliberatio ruſtici; ſermo ſuper eâ re cum uxore, cum ipſo filio, cum vicinis; cauſa vel ſpes quas concepit; quid ſecum ſolus; quomodo ſibi gratulatus. 2. PRÆSENTIA: quâ occaſione in urbem advenerit; quomodo quæſiverit plateam, domum; quid ad januam cum ancillis, famulo ſit locutus. Hic deſcribatur Philippus: (credunt enim ad hunc veniſſe Ruſticum, & id fingit Friſchlinus) quod ille ad Ruſtici petitionem deſcenderit; convenerit; quid ſint locuti. 3. CONSEQUENTIA vel EVENTUS: Quomodo vix miſerum Ruſticum potuerit perſuadere filium iſtum jam ineptum eſſe ſtudijs; ut autem intra horę iſtius ſpacium erudiatur fieri non poſſe.

EPILOGUS vel Sententia. Eruditio liberalis non acquiritur per deſidiam; non brevi temporis ſpacio; non emitur &c. FIAT inductio aliqua, adducantur Exempla, aliæ Sententiæ, Concluſio per adhortationem.

VII.
VIRTUS IN MEDIOCRItate poſita eſt.

Fabula de DÆDALO & ICARO.

EXORDIUM.

I. Commendentur FABULÆ: Quicquid in Poëſeos laudem dici poterit, idem videtur etiam in fabulas convenire, quoniam fabulæ præcipua Poëtices pars ſunt: Id enim agunt, ut pulchellis figmentis

concludant, quasi auro, sententias optimas & prudentissimas, quasi gemmulas. Accedunt deinde Numeri, tanquam parerga & emblemata, ut si hos demseris, nihil detraxeris Poemati, sed verè etiam absq; metris istis Poëma sit vel fabula: Quid enim Poëma aliud &c.

II. COMMENDETUR præsens fabula de Dædalo & Icaro. Benè vetus est, & ab Antiquitate usq; vetustissimâ profecta: videtur igitur propter jucunditatem & prudentiam sic placuisse, ut digna videretur, cujus commemoratio servaretur. Describunt ferè eam Poëtæ universi, VIRGILIUS 6. Æneid: OVIDIUS l. 6. Metamorph. fab. 3. Et continet sanè prudentiæ plurimum; Quod ipsi agnoscetis, si hunc horæ quadrantem benevolè atq; attentè audieritis.

TRACTATIO.

I. Describantur personæ, quæ hic geminæ sunt, Dædalus, & Jcarus filius.

II. RES GESTA sic dividatur: 1. OCCASIO: Detinebatur à Minoê, jtaq; cogitabat de modo effugiendi. Vide Ovidium. ADDATUR GNOME: Nil mortalibus arduum est, Hor. Ode 3. lib. 1. præcipuè artificibus vel prudentibus hominibus &c. 2. IPSUM negocium. Præparatoria: Pater parat pennas: Vide Ovidium. Filius adolescens ludit, miratur, impedit suis ineptijs: Pater aptat sibi, tentat atq; explorat, pòst habet orationem ad filium, quâ instruit. Fingatur aliqua.

III. Describatur TEMPUS, quo Minos regnaverit. Fingatur Tempus anni Poëticè, & Describatur. Fingatur tempus diei.

IV. LOCUS excogitetur. Quâ prætervolaverint; quot miliaria confecerint; Jtem in aëre quid ibi viderint; & generaliter in terris quomodo ibi viderint homines, urbes, regiones; & mirè sint delectati &c.

V. Affingantur ALIÆ Personæ, quæ viderint istos volantes, fortè Minos; aut Ministri, & alij peregrini; & quid opinati sint aut dixerint.

VI. EVENTUS: Jcarus audax, quia Juvenis, & quia jam succedebat volatus, noluit amplius obtemperare parenti. Fingatur Expostulatio, vel saltem, quid solus secum cogitârit aut dixerit aut pater, aut filius. Accessit propius solem; liquefacta est cera; excussæ alæ; ipse in mare decidit. Fingatur QUERELA, luctus, & planctus parentis.

EPILOGUS Tractet SENTENTIAM.

I. MINUS principalem: Juventutis nimis calida & ferocia consilia, sed valdè periculosa; plus confidunt suę prudentiæ ac viribus, atq; ęquum est; nolunt aliorum dicto audientes esse; contemnunt etiam, quibus officij causâ debebant obedientiam, ut, parentibus & præceptoribus: Inde multi in magnas calamitates se præcipitârunt.

II. SENTENTIAM Principalem: Præcipuè videntur eò finxisse fabulam authores, ut significarent: virtutis perfectionem in mediocritate consistere, ut Ovidius addit:

Medioq; ut limite curras
Icare, ait, (Pater) *moneo, ne, si dimißior ibis,*
Unda gravet pennas: si celsior, ignis adurat.
Inter utrunq; vola.

Fiat INDUCTIO virtutum aliquarum. Contrà, affectus abripiunt animum à mediocritate illa ad excessum vel defectũ: Fiat Inductio.

CONCLUSIO fiat per adhortationem: Amemus igitur in omnibus rebus mediocritatem vel decorum; fugiamus arrogantiam, fastum; Et cum adolescentes non satis nobis per ætatem consulere ipsi possimus, audiamus libenter prudentum hominum consilia, maxime qui ex officio nobis præsunt, moniti isto sapientissimo figmento, quo propter temeritatem suam ICARUS ICARIIS nomina fecit aquis, suffocatus scilicet in ijsdem. i. e. Quo hoc docere voluerunt viri prudentissimi: observatum esse, petulantiam illam ac temeritatem plerumq; miseros habere exitus.

VIII.

OMNIBUS PERICULIS SE CREDERE TEmerè, cum non sis tibi conscius de tuis aut hostis viribus, nec habeas causam subeundi illius, est audaciæ & infeliciter cedit.

Fabula de

TIGRIDE & VULPE.

EXORDIUM. Lepida est illa Æsopi fabula de Tigride & Vulpe, in arrogantes conficta. Fingit Tigridem, cum reliquæ feræ ali- quando

Exordium captat Docilitatem: 1. dicitur summa. 2. Paraphrasis vel latior expositio.

quando fugerent à Venatoribus turbatæ, sedulò & studiosè quæsivisse venatores, ut his occurreret, & feras ulcisceretur. Percussam verò sagitta, cum fugeret, lepide risam esse à Vulpecula, quæ id ante dissuaserat. Qua illos arrogantes, vel audaces illudere voluit author, qui temere se periculis credunt: Etenim non semper fortitudinis est pericula subire; neq; etiam omnia pericula fugienda sunt, sed in consilium adhibenda est ratio & prudentia quædam: Utriq; enim ridiculi sunt & qui nimis metuunt à periculis; & qui temere se periculis credunt; Hi verò etiam damno viciniores sunt.

3. Repetitio.

Sed dignum fortassis fuerit hanc rem ulterius considerare: Quod faciam isto ordine, ut primò enarrem ipsum figmentum illud vel fabulam, quid à Tigride factum fingat Æsopus: DEINDE de audaciæ ac temeritatis ridicula turpitudine aliquid addam.

4. Partitio dicendorũ.

DE PRIMO.

I. MEDIUS terminus, vel persona illa ficta, TIGRIS describatur & Hujus Natura.

II. MINOR terminus, vel factum prolixè enarretur. 1. Venatores aliqui fingantur & describantur. 2. Venatio. 3. Locus. 4. Tempus. 5. Modus. 6. Causæ. e.g. Finis, Instrumenta &c.

III. FACTUM TIGRIDIS. 1. Audijt tumultum & turbas; mirata est hæc; & dixit; cogitavit; prosilijt è suis latebris; circumspexit; vidit vulpem; quæsivit causam; collocutæ sunt; dissuadet Vulpes; tamen armatur Tigris; ambulat; in Venatores incidit; pugnat; minatur; ridentur à venatoribus vani conatus.

IV. MAJOR Terminus vel Eventus: Vulneratur Tigris; irascitur; cogitat ultionem; dolet vulnus; penè percussa esset iterum; metuit; fugit; vix effugit; persequuntur venatores, canes; convenit vulpeculam; colloquuntur: illa lambit vulnus; adhibet Medicinam; extrahit sagittam; Tigridi animus deficit; Ridetur à Vulpecula; conqueritur suam stultitiam. Fiat TRANSITIO.

DE SECUNDO.

I. Audacia, vel quod quidam temerè se periculis credunt, ridiculum est, & multis fuit exitio. Fiat INDUCTIO.

II. Adducatur Simile.

III. Repetitio universalis dictorum.
IV. Fiat dehortatio ad fugiendam audaciam.

IX.

PLVS POTEST AD VICTORIAM MATVratio inceptorum quam impetus: Item Prudentia quam robur.

SOL & VENTUS SPONSIONE FACTA CERTANTES.

EXORDIUM. Sol & Aquilo certamen inijsse feruntur, fortitudinis experiundæ causâ in eripiendis viatori cuidam vestibus: Sol vicisse, quod tanto æstu vexaret, ut ille exueret vestes; Aquilo, quod vi ageret, nihil effecisse. In stolidos conficta fabula est, qui omnia vi ac robore posse se efficere putant, cum plus possit consilium ac mora, quam præcipitantia ac brutum robur. Sed lepida est fabula, & digna hac in fabula inclusa sententia, quam porro consideremus. In qua re dum occupor, vestrum est pro humanitate vestra æquas ac benevolas aures ad horæ hunc quadrantem accommodare. Quod vos oro etiam atq; etiam. *Docilitas. Dicitur summa.*

TRACTATIO.

I. Narretur NATURA Aquilonis & Solis. 1. PHYSICÈ. 2. MORALITER.

II. RES gesta sic narretur: 1. fingatur Occasio. In convivio quodam Deorum inter pocula prædicavit robur suum Aquilo: & fingatur Oratio. Reliqui Dij sunt indignati: Sol lepide & modestè reprehendit, & certamen obtulit Aquiloni ludicrum. 2. Reliqui Dij attentè assederunt; riserunt stulticiam Aquilonis. 3. Aquilo maluit certare & experiri vires suas cum Sole in magnis rebus: sed recusavit Sol, & reliqui Dij interposuerunt se. 4. Utrinq; consensum est, ut experirentur vires in Viatore: Dictus dies, locus, facta sponsio est, ut uter victus esset; daret victori &c; Fingatur Pignus. Aderat dies, progressi sunt in campum Sol & Aquilo; Dij spectatores astabant in cœlo. 1. Aggressus est viatorem Aquilo; egit rem magnis conatibus; nihil effecit. Deinde Sol vicit.

III. EPILOGUS tractet sententiam: Plus potest &c.

X.

De fortitudine.

TIMIDI FVGIVNT ETIAM UMBRAS PERIculorum: Sistitur metus desperatione.

Fabula de

LEPORIBUS, FUGATIS STREPITU ARBORUM.

Captatur docilitas 1. summa dicitur.

EXORDIUM. Lepidissima est inter reliquas Æsopi fabula de leporibus, in fugam conjectis arborum quodam strepitu; qui ijdem animum sumserunt, cum fluvio quodam a fuga prohiberentur.

Quæ ficta est ad ridendam multorum timiditatem nimiam; jtem ad docendum, quòd etiam timidissimis in extremo periculo & desperatione redeat animus, ut extrema conentur.

2. Partitio dicendorũ.

Non inutilem igitur in eâ fabulâ enarrandâ operam collocaturus esse mihi videor: Quam primo loco exponam, deinde, quæ continet prudentiæ politicæ præcepta, ea enucleabo.

Vos oro ut conatum meum vestrâ attentione benevolâ adjuvetis.

DE PRIMO.

TRACTATIO.

I. Consideretur MEDIUS terminus, Lepores: Dicatur aliquid de Horum Natura. 1. Physicè: quod sint imbelles, Natura jtaq; indulsit pedum celeritatem, ut alijs animalibus alia, quibus vitam tutentur &c. 2. Moraliter: Politici, Philosophi, jtem vulgus etiam, timidos solent appellare lepores &c. Accommodentur aliquæ partes Similitudinis.

II. Consideretur MINOR terminus, sive factum & res gesta. Fingatur 1. Tempus. 2. Locus. 3. Causa vel Occasio, quare vixerint uno loco multi Lepores: Fortè familia quædam fuit leporum; aut concilium indictum; aut fuerunt lauta pabula; aut fuerunt à venatoribus ex agro isthuc in sylvam compulsi & narrarunt inter se, quanto periculo, quâ arte & versutiâ singuli effugerint. 4. Fuerat tempestas tranquilla & clemens; subitò atq; insperatò ortus est ventus, qui concussit arbores, ut aliæ strepitum, aliæ fragorem, aliæ sibilum ederent. 5. Factus est tumultus; omnes exclamabant; tumultuabantur præ metu; ruebant; currebant; alij alios impetebant, evertebant; fit via

vi: Etiamnunc enim ob oculos singulis versabantur canes, latratus, morsus, venatorum cornua, cantus atq; instigationes.

III. ALTERUM factum. 1. Describatur situs sylvæ ac fluvij. 2. Fingatur spacium quousq; decurrerint. 3. Fingantur spectatores, vulpes, aviculæ, ranæ in paludibus &c. qui istos mirati sint; & quid dixerint, cogitarint. 4. In fuga alius substitit fessus præ spiritus difficultate; alius offendit pedem; alius læsit oculum sentibus; alius præ festinatione caput arbori illisit; alius in foveam cecidit; alius perdidit quid &c. 5. Tandem devenerunt ad flumen, quod potest describi.

IV. MAIOR terminus vel Eventus. 1. cogitarunt tranare. 2. Unus atq; alter tentavit. 3. Quæsiverunt vadum. 4. Quæsiverunt vias alias fugiendi. 5. Tandem consilium ceperunt; illic expectandi hostem, defendendi sui; extrema tentandi. 6. Sic viderunt vanum fuisse metum suum, & substiterunt à fugâ.

DE SECUNDO.

SENTENTIA gemina est. 1. E Priori facto: Fingere temerè pericula est timidorum & ridiculum. 2. Ex posteriori facto:

Una salus miseris nullam sperare salutem.
Sæpè etiam victis redit in præcordia virtus.

i. e. sæpè desperatio fuit occasio emergendi ex periculo.

TRACTETUR 1. Exemplis uno altero. 2. Conclusione.

XI.

CONTRA THRASONES.

Fabula de

HIRCO, QUI OBSISTEBAT TAURO à LEONE fugienti.

Sumsi mihi dicendum de fabula quadam, de TAURO & LEONE adversus Thrasones, quæ ejusmodi in Æsopo est: Leonem fugitabat Taurus & in Hircum incidit &c. *Exordium captat docilitatem. 1. dicitur summa.*

Quidam extra periculum clamosi & occupatissimi sunt, ubi se tutos vident; & cum imbelli hoste, aut alias occupato res est: Quod est ignaviæ & timiditatis vitio datur; & aliquando ad occasiones vindictæ observandas hostem invitat: *2. Paraphrasis.*

3. Repetitio. Non est fortitudinis ostentare vires suas, ubi nullum est periculum, & ubi hostes tibi facias, quos poteras amicos retinuisse.

4. Partitio dicendorũ. Sed hæc nunc paulò altius consideremus; & in fabula ista proposita esse monstremus. De qua dicam,

1. Quæ inter Leonem & Taurum gesta sint.

2. Quomodo tauro se opposuerit Hircus. DEMUM quomodo hujus stulticiam reprehenderit Taurus.

TRACTATIO.

TERMINUS MEDIUS sunt personæ illæ fictæ, Leo, Taurus, Hircus: sed Hircus est principalis terminus. Describantur singuli. 1. PHYSICÈ. 2. MORALITER.

DE PRIMO.

TERMINUS Minor sive Factum: primum minus principale: Leo fugat Taurum. Describatur Locus, pratum aut sylva, ubi pascebatur Taurus: Eodem devenit Leo, concertabant inter se.

Terminus Major sive Eventus: Vulneratus est Taurus, fugit. Cum fortiori non est pugnandum.

Fiat continuatio.

DE SECVNDO.

Alter Minor terminus, factum & res gesta inter Taurum & Hircum hac parte considerabitur.

1. Fingatur causa & occasio: Fugit fortè Taurus latitandi causa, & ut defenderetur ab homine, ad caulam ovium.

2. Fingatur tempus Autumni, quando hirci sunt pingues, & sic feroces.

3. Fingatur locus, ager, & ibi fixæ caulæ duæ, in harum medio consistit Hircus.

4. Petit Taurus transitum.

5. Hircus denegat.

6. Hircus auxilium hominum inclamat & canum; tum cornibus impetit taurum; & multa convicia in Taurum dicit. Fiat transitio.

DE TERTIO.

Major terminus sive Eventus rei gestæ inter Taurum & Hircum

expli-

explicatur hac parte: Taurus indignatur; cogitat hircum obterere, sed continet se; fugit alia via; relinquit hircum; exprobat illi inhumanitatem; ridet stulticiam; comminatur se occasione alia ulturum hircum.

Epilogus instituit Querelam de istis improbis moribus, quòd quidam imbelles, tamen videntur sibi fortes, dum omnium rerum copia affluunt: Itaq; alios sibi temerè faciunt inimicos: maximè eos, quos vident rerum adversitate premi, ut non possint ulcisci injuriam quod credant impunè se posse in istos exercere libidinem.

XII.
CONTRA INTEMPERANTIAM.

Tractatio Fabulæ Æsopicæ de

MUSCA SUFFOCATA JUSCULO CALENTE.

Exordium.

I. Commendetur breviter Æsopus.

II. Fabulæ.

III. Promitte te, si attendant Auditores, effecturum, ut hæc fictio vel fabula Æsopi, & digna ipsius ingenio; & quam plurimis atq; optimis prudentiæ politicæ præceptis plena esse appareat.

Tractatio.

I. Narretur prolixè: 1. fingatur Tempus vernum, (quo scilicet muscæ apparent) & aliquam multis verbis amænitas hujus describatur: Præsertim, quòd illo tempore omnia quasi reviviscunt; & animalcula, omnium hominum & ferè totius naturæ maximo cum stupore, ex nescio quibus locis abditissimis, non ab sensibus tantum, sed pænè intelligentia hominũ, iterum apparent. Dic isto verno tempore accidisse, ut creditur in fabulis, quæ de Musca narret Æsopus.

II. Fingatur Locus: Oppidum quoddam vicinum paludibus, (nam in hujusmodi paludibus multa reperitur muscarum copia.)

III. Fingantur quasi Personæ, multæ Muscæ, quæ oborta magnâ siccitate (quòd ruri pabulum deesset succus scilicet, unde alerentur) in oppidum divertendi consilium inierint: Ubi Aliæ periculi causa, (quòd ab hominibus metuerent & horum varijs insidijs) maluerunt in sylvis latitare; Aliæ in oppidum quidem abierint, sed ad pauper-

culas

culas caſulas diverterint ad ſtabula pecorum & hortulorum olera; Sed Quoddam examen juvencularum Muſcarum nidorem ſectatæ cereviſiæ, vini, eſculentorum ad domos & palatia divitum avolarint.

IV. Res geſta: Fingatur, Illas miſerè; Has lautè exceptas; idq; inter ſe narrare, dum redeunt veſperi ad cubilia.

V. Eventus: Cum jterùm, & tertiùm redijſſent, & iſtæ, delicias ſectatæ, commemoratione lautiſſimæ tractationis etiam alias adduxiſſent, homines delicatiores moleſtiæ illius à muſcis pertæſos eſſe, quòd omnia perſtreperent murmure ſuo; omnia ſtercore fædarent; in os ac faciem hominibus involarent; & ſic excitarent dormientes; jocantes interturbarent; prandentibus cibum potumq; inſuavem redderent; ſerij aliquid agentibus iſtis vexationibus etiam indignationem & ſtomachum moverent: Itaq; variæ excogitatæ ſunt inſidiæ; (Enumerentur) tum palam vi in ipſas ſævitum eſt ſcopis, muſcarijs, manibus &c.

VI. Dic Reliqua non velle te nunc perſequi; Unum eſſe ridiculum: quòd alicui valdè ferоculæ Muſcæ acciderit: Quæ, (quòd parentum prudentiſſimorum conſilijs eſſet inſtructa, cum abſterreri ab aula non poſſet, ut ſaltem pericula effugiendi modum noſſet) jtaq; diligenter caverat inſidias &c. (Enarretur quomodo ſingulas caverit.) Sed cum fortè aliquando apponeretur Domino diviti ferculum lautiſſimum &c. (Fingatur aliquod) juſculo dulciſſimo conditum &c. ſed calente, Illa, dum in precibus occupata eſt familia, advolat &c. Sic miſerrimè incauta, calore iſto aduſtis alis, perijt, & gratiſſimum ac ridiculum fuit aſſidentibus ſpectaculum. Exaggeretur.

1. Perijt ſuffocata:
2. Combuſta:
3. Hoſtibus fuit riſui:
4. Fuit objecta aviculæ cantillanti ad menſam in cibum; aut protrita pedibus:
5. Mater planxit:
6. Parens doluit:
7. Omnis familia luxit temeritatem.
8. Inſtituatur lamentatio & querela:

O miſeram, perdidit te juvenilis temeritas; & imbecillitas iſta

ætatis; voluptatis nimis blandus vultus; & latens venenum &c.

Amicus quidam ſcripſit Epicedion amoris ſui teſtandi, & doloris parentibus leniendi cauſâ. Fingatur.

Sententia, Multos perdidit voluptatum ſtudium, tractetur.

XIII.

OMNES SE APTOS MAGNIS HONORIBUS & officijs putant, etiam propter cauſas leviſſimas.

Ut:

PAVO PROPTER PULCHRAM CAUDAM regnum inter aves petijt.

Ajunt aves quondam conſultaſſe de Rege eligendo: Inter reliquas etiam Pavonem ambijſſe regnum, & mirè oſtentaſſe ac prædicaſſe pulchritudinem ſuam, ſed repulſam tuliſſe. Quo lepidè ridentur ingenia hominum nimis ſibi placentium; & plus ſatis magnificè de ſe ſentientium; ut res ſuas leviſſimas quaſq; nimis extollant; & propter has omnium ſe primos ac digniſſimos judicent. *Exordium captabit 1. docilitatem: Dicetur ſumma.*

Sed quæſo eam fabulam penitus conſideremus.

Agetur de rebus gravibus, conſilijs ſcilicet regni conſtituendi, & Regis avium: Tum ſapientem audietis & magnificam Pavonis petitionem, quamvis ridiculum eventum: Sed extra jocum, prudentiæ in iſtis ſalibus non exiguam vim ineſſe cognoſcetis, Monſtrabo enim, quomodo hoc docere voluerint fabulæ authores: exuendam eſſe ex animo illam ſtolidiſſimam ambitionem; & modeſtè debere quemq; de ſe ipſum ſentire. Quod dum facio, Vos A. O. iſtius temporis ac ſtudij, in hanc auſcultationem imò me ipſum collati, ne tædeat aut pœniteat oro. *2. Attentionem. 1. Dicentur res lepidæ. 2. Dicentur res magnæ.*

Fabula.

I. Medius terminus, PAVO, deſcribatur Phyſicè, ſive natura Hujus ex illis quę vulgò nota ſunt: 2. Moraliter: Pavone ipſam Naturam quodammodo mores ſuperbi homines pingere quaſi voluiſſe omnes cenſent: tantum delicatui atq; oſtentui eſt; ac pompę; ſuperbit ac ferocit; nulli rei gerendæ aptus eſt &c.

II. Minor terminus ſive res geſta vel factum. 1. Occaſio: Aquila propter tyrannidem pulſa erat regno; attraxerat in ſuas partes vultu-

rem, milvium, falconem &c. Imminebat igitur Reip. periculum ingens. Indicta sunt comitia. Fingantur Locus; Tempus; quo convenerint aves maximè principes. Deliberatum est de summa Reip. Alijs aliud visum est de forma Reip.; de pacis conditionibus cum Aquila ineundis; de conscribendo adversus istam milite &c. Tandem tamen in eam rem consensum est, alium regem esse eligendum. 2. IPSUM NEGOCIUM. Hîc deliberatum est, quis rex deberet eligi. ALIÆ consuluerunt, è vicinis quibusdam Regibus esse aliquem deligendum, potentissimum. Dissuasit Noctua: ALIÆ ciconiam voluerunt Regem eligi: ALIÆ cygnum: ALIÆ gruem. Fingantur si placet Orationes. Pavonis causam ajunt egisse Gallum affinem, præcipuæ authoritatis Principem & consiliarium: Item creditur Pavo corrupisse pecuniâ Corvum, & hujus familiares, Cornicem, Monedulam: & spe ac pollicitationibus anseres, anates: tum columbis candidis ac synceris metu vicinitatis suffragium extorsisse. Hæ pro Pavone sollicitè ac diligenter agebant: Gallo orandi datum est negocium: habuit orationem hujusmodi &c. Fingatur aliqua. LAUDUM summa vel caput erit: Habet pulchram caudam &c.

III. MAJOR terminus, Eventus: Omnes miratæ sunt pavonis stulticiam, qui hoc imperij onus gravissimum, & illo quidem periculosissimo Reip. tempore sibi posceret: QUÆDAM etiam indignatæ, potissimum Hirundo garrula in infimis sedens subsellijs, Quæ vehementer exprobavit Gallo, quòd ità negligeret Remp., ut suæ familiæ consuleret, & omnem affinitatis privatam, nullam Reip. curam haberet; reliquis exprobravit avaritiam; columbis timiditatem. Cum multis modis esset litigatum; & non convenirent sententiæ; & populus nollet sibi Pavonem Regem, (quem tamen pars procerum maxima corrupta elegerat) sic comitia soluta sunt, nec dum conclusum de Rege. Interim aviculæ prædæ sunt Aquilæ, Milvio, Accipitri unius istius Pavonis ambitione.

EPILOGUS, 1. Stolidi sibi arrogant maximos honores, quibus indigni sunt: itaq; agunt rem fraudibus & dolis, sed magno sæpè Reip. damno.

XIIII.

JUVENES FEROCIORES PLERIQ; SED magno suo incommodo.

Contra immodestiam.

BOS VETULUS & JUVENCULUS.

Maximè decet hominem Modestia, præcipuè juvenem: Nihil enim intolerabilius adoleſcente arrogante; tum nihil perniciosius iſtâ perſuaſione eruditionis, nobilitatis, licentiæ &c. propter quas juvenes nolunt dicto audientes eſſe, obſiſtunt diſciplinæ: Nihil ſuavius iſtâ morum commoditate, ſi cum omnibus cum animi quadam humilitate verſetur juvenis, maximè cum illis, á quibus diſcere debet: Tum hujuſmodi Modeſtia magnum affert adjumentum ad eruditionem; morum gravitatem ac probitatem; multarum rerum experientiam; omnium hominum amorem &c.

Exordium captet Attentionem. 1. Dicentur res magnæ.

Hanc virtutem lepidiſſimâ fabulâ de Bove vetulo & Juvenculo commendare voluit prudens antiquitas: Quæ nobis commendatiſſima eſſe debet, quia noſtræ juvenum ætati, vel in noſtrum uſum potiſſimum videtur excogitata eſſe. Dum igitur eam enarro, vos oro, A. O., benevole atq; attentè me audiatis.

2. Jucundæ.
3. Propriæ.

FABULA.

I. Medius terminus, Bos vetulus, & Bos Juvenculus, deſcribatur Moraliter, i. e. Voluerunt per Bovem vetulum exprimere homines, qui ætatis aut officij cauſa præſunt; plus valent eruditione, rerum experientiâ: Per Bovem juvenculum Adoleſcentes. Oſtendatur aliqua ſimilitudo.

II. MINOR terminus, Factum.

1. Fingatur LOCUS, pratum:

2. TEMPUS:

3. RES geſta. 1. OCCASIO: Paſcebantur in prato, huic præfectus erat a parentibus in agone filius, Ille quotidiè inſtruebat, docebat bonos mores, ſtudium diſcendi, tolerandi, fugiendi ocium ac delicias, ſocietates pravas. 2. NEGOCIUM: Ille obluctabatur correptus verbis gravioribus; monitus de parentum voluntate, Dei ira, tandem pollicitus eſt meliora; ſed abſentem riſit; abijt ad ſocios improbos; apud hos ſolebat narrare & cavillari declamationes ſenis ſui; luſit;

ocia-

ociatus est &c. aliquando potus, cum gravius increparetur, impetijt cornibus senem: Hic indignatus, dira imprecatus est.

III. Major terminus, Eventus: Herus nuptias parat filio, jtaq; boves, quos aliàs aliturus erat ruri colendo, cogitur mactare: Igitur hic feroculus, quòd propter ferociam crederetur pinguior, captus abductus est. Fingantur orationes quibus sibi valedicant. Queritur ille stultitiam suam: Vetulus ipsius miseriam.

Epilogus tractet Sententiam: Juvenes plerumq; ferociores sed magno suo incommodo.

XV.

ALIIS ALIA BONA SUNT AUT VIDENtur; Vir prudens autem & bonus rectè unumquodq; æstimat & verè. 3. Eth. 4.

Fabula de

SUE & NUPTIIS LEONIS.

Exordium. Pulchra est illa Aristotelis sententia. 3. Eth. c. 4. Aliis alia bona sunt &c. Quâ hoc voluit dicere vir sapientissimus, singulorum ferè hominum singulares ac proprias esse sententias, opiniones ac cupiditates; alios aliud rerum magis sectari: ut quod alij equis ac venatione; alij re militari; alij lucro & mercaturâ faciendâ; alij ocio; alij honoribus; alij liberali eruditione delectantur: Præterea homines corrupti judicij ac mentis etiam ad turpissimas quasq; res & maximè noxias animum applicant. Hic igitur viri prudentis est ac bonis moribus præditi rectè de rebus judicare, & singulas eo loco habere quo decet: Primo quidem loco virtutis exercitium; post hoc, necessaria illa virtutis exercendæ instrumenta; Amicitiam cum hominibus honestis; honestum in Rep. locum vel honores; opes sufficientes; valetudinem; & reliqua. Sed rarò invenias, qui hac judicij sinceritate præditi sunt:

Rarò quippe boni; (dicebat Poëta) *vix totidem, quot*
Thebarum portæ vel divitis ostia Nili;
Imò, *Vix illum invenerit unum.*
Millibus è multis hominum consultus Apollo.

Reliquum vulgus aut totum admiratur divitias; aut voluptatibus volutatur; aut honoribus inhiat. Hos lepidè ridere voluit fabulæ istius author de Leonis nuptijs, à quibus dum vulpecula rediisset, & Sui delicias narrasset, Ille de furfuribus quæsivit, num & hi essent appositi. Digna igitur visa est, quàm prolixius vobis exponerem, si & vos in audiendo dignam collocaturi operam vobis videri poteritis: Quod vos oro quàm maximè.

TRACTATIO.

I. Dicatur de porci NATURA Physicè.

II. Quod ita omnes sentiant: In Porco Naturam ipsam quodammodo pingere voluisse mores hominis, contemnentis omnem honesti rationem; tantum oblectantis se turpissimis & ignavissimis voluptatibus, aut ocio, aut lucro, aut alijs sordibus similibus. Accommodetur per partes. *Moraliter.*

III. Narretur RES gesta.


1. OCCASIO & præparatoria. Describatur vulpeculæ cum porco Congressus, Locus, Tempus ubi convenerint.

2. Introducatur porcus à vulpeculâ quærens commemorationem acti convivij.

3. Vulpes prolixè narret Sponsi ac sponsæ familiam, mores &c. tum convivas, convivij luxum, epulas, spectacula, oblectationes &c.

4. Quomodo ista contemserit porcus; & quæsiverit de furfuribus; hos commendaverit oratione; & argumentatus sit contra convivij & epularum magnificentiam propter furfurum defectum.

5. Quomodo vulpes indignabunda abierit. Et tribuatur huic ORATIO, quâ conqueratur, de ineptissimo istorum judicio, qui omnia contemnunt præ voluptatibus suis, & his quidem turpissimis aut saltem vilissimis; Ait non mirari se porcum, cum idem homines faciant in his & his &c. FIAT INDUCTIO. Prædicet prudentiam, quâ instructi optimè de omnibus judicant. ADDUCANTUR Exempla, Sententiæ aliæ: CONcludatur adhortatione. *EPILOGUS.*



XVI.

QUOD IN INGRATOS COLLOCAveris beneficij perit.

GRUS & LUPUS.

Contra intempestivã liberalitatẽ aut humanitatem. Exordium captat attentionem 1. quia dicendæ res magnæ.

Multum interest ad vitæ felicitatem adjungere sibi amicos, Quod fit benè merendo aut benefaciendo. Improborum vero hominum nulla est in amicitia utilitas; & præterea hos frustra beneficijs tentaveris, ut benevolentiam veram ac synceram horum tibi comparares; etiamsi maxima quæq; in ipsos contuleris, tamen manebunt mala mens, malus animus. Itaq; prudentiâ opus est singulari in collocandis beneficijs. Quod voluerunt veteres Philosophi aut viri prudentes docere lepidâ quadam fabulâ, plenâ joci ac facetiarum; tum jucundissimâ, quòd miro artificio exprimat quorundam hominum, non malorum quidem, sed temerè fidentium simplicitatem: improborum verò ingenia malitiæ planè desperatæ, interim versutissima. Audietis figmentum intra istius horæ quadrantem: cujus usuram & benevolentiæ vestræ atq; attentionis, ut mihi concedatis, oro vos iterum atq; iterum.

TRACTATIO.

MEDIUS terminus geminus, LUPUS & GRUS. Utriusq; Natura describatur. 1. Physicè. 2. Moraliter, sive quomodo per illius Naturam hominum improborum mores intelligantur, per Gruem homines probi ac simplices.

II. MINOR terminus sive factum item geminum est. Lupo præ voracitate os hæserat in faucibus. Fingatur 1. Tempus: 2. Locus: 3. Occasio: 4. Quomodo circumcursitaverit præ dolore; quos adierit Medicos; quas querelas instituerit.

III. ALTERUM factum. Grus Medicus extrahit Lupo petenti os ex faucibus. Fingantur 1. Locus: 2. Tempus: 3. Occasio, quibus convenerit lupus gruem: 4. Verba quibus compellarit: 5. quomodo sit adulatus; appellarit doctissimum, peritissimum; prædicarit ipsius experientiam, famam &c. 6. Pollicitus sit magnum præmium: 7. Grus superbior commemorat suam eruditionem; quot Academias, quas regiones, quos Præceptores habuerit; quos legerit libros; quibus lo-

cis, à quam periculosis morbis liberarit quam multos: &c., tandem pollicitus est opem; Inseruit rostrum suum lupi collo speculandi causa; &, cum sentiret movere se posse os, extraxit.

IV. MAIOR terminus vel Eventus item geminus. Grus postulat mercedem à lupo, sed ridet Lupus gruem; ait sibi deberi mercedem à grue, quæ salvum caput suum è lupi faucibus extraxerit; & minatus est gravia ni abeat Grus.

V. Grus conquesta est stulticiam suam, quæ beneficium tantum, scilicet ut in tanto periculo juvaret, collocarit in tam nequam animal.

EPILOGUS: Sententia gemina.

1. Improbi sunt ingrati, nec flectuntur obsequijs: Unde fit, ut cum improborum nunc tanta multitudo sit, etiam ingratitudo sit frequentissima:

Omnia sunt ingrata nihil fecisse benignè est.

2. In beneficijs igitur collocandis videamus in quos ea conferamus: Indignis enim si quid benefeceris, non tantum perit beneficium, sed illius etiam contra te armas malitiam: Tibi dolorem concilias, alijs risum. Desine de quoquam quicquam bene velli mereri.

I.
NARRATIO NUPTIARUM JSAACI cum REBECCA.

EXORDIUM.

I. A commendatione Narrationis. Narratio est multi usus: Primum enim non tantum Poëtę & Historici perpetuas tractant Narrationes, Illi rerum fictarum, Hi verarum: Verum etiam Oratoribus sæpissimè Narratione exponendæ sunt plurimæ & gravissimę res. ut: Si quem commendare volent pro funere mortuum; in nuptijs sponsum ac sponsam; in cathedra aut in Rep. viros benè meritos laudare, aut alios vituperare, hic facta, res gesta, & vita Horum ornatè exponenda erunt. Quare opus fuerit decoræ narrationis modum quendam ac rationem scire.

II. A commendatione pręsentis instituti vel exercitij. Quod facere

solent

solent artifices, ut exerceant se in viliori materiâ, donec artem plenius addiscant: ut: Pugilis discipulus non primum gladijs acutis, sed aut ligneis, aut obtusis, aut acie saltem pannis obvolutâ exercet se: Ità in Eloquentiæ exercitio commodè fit, si seriæ scriptioni præmittatur exercitium in quibusdam ludicris. Ubi affingere aliquid & ingenio dare licitum est, (nec minus tamen sic perspicere poterimus & assuefieri) ut in rebus serijs excogitandis, in istis diligenter exercitati, valeamus: uti pugiles isti &c.

DOCILITAS. Itaq; nobis nunc sumsimus describendas nuptias Jsaaci Patriarchæ, quarum novistis mentionem fieri in sacris Gen: 24. De Pompa, de ferculis, de Orationibus habitis ultrò citroq; nullum ibi verbum; sed dabitis nobis hanc veniam utentibus facultate eâ, jam dudũ scholis concessâ, ut ista fingere nobis liceat, quemadmodum verisimile est gesta esse, ingenij causâ.

NARRATIO.

ACTUS PRIMUS.

I. Eleezer cancellarius describatur breviter verè ac fictè.

II. Redierat ex Mesopotamia: cumq; ad Principis sui habitationem propius accessisset, vidit Jsaacum monitus à Rebecca.

III. Rebecca defluit in terram, &c. Genes. 24.

IV. Accedit Jsaac; salutat, amplectitur; inter se jocantur familiariter.

V. Deducit domum in peculiarem cellam.

ACTUS SECVNDUS.

I. Interim Eleezer excusserat pulverem, camelos & servos, ac comitatum curarat deduci; accessit Principem suum.

II. Abraham gaudet; gratulatur reditum; quærit quid effecerit, & de sponsa; accedit deinde Jsaacus.

III. Hic Eleëzer rem oratione exponit; Gen. 24. tum prædicat locum Mesopotamiam, & oppidum Ur, & humanitatem parentum sponsæ; tum narrat quædam mira visa in itinere: FINGANTUR.

IV. Deinde deliberant dè nuptijs, de apparatu, de convivis, de die nuptiarum: aliud Cancellario, aliud filio ac parenti placet: Ille nimis magnificus est, Hi medium servant.

V. Num Ismael sit invitandus dissensio est inter Patrem & Jsaacum: Pater non vult, Filius vult, ac petit ut invitetur, atq; impetrat. FINGANTUR ORATIONES. Reliqua ex collegis audietis.

II. NARRATIO.

ACTUS TERTIUS.

Pars prima:

Commendatur sponsa JSAACO.

CONTINUATIO.

EXORDIUM. Prolixior est, A. O., nuptiarum solennitas, quàm ut potuerit isto uno horæ quadrante enarrari: Itaq; divisę sunt narrandi partes; & Mihi quidem impositum, ut, quæ porrò ab invitatione nuptiali consecuta sint, exponam. Hîc sanè (si mihi vel liberet vel liceret etiam facundum ac prolixiorem esse) commemorarem, ad quos Principes, quas urbes, oppida, Oratores & quinam, ad quos saltem Literæ missæ sint; & legationem propositam, Legatos exceptos, dimissos, & cum quo responso, describerem; tum exscriberem literas istas invitatorias; Item, qui paruerint invitationi, qui maturè, qui serius; quantâ singuli pompâ, comitatu, ornatu advenerint; Tum gratulationes huc possem inserere sponso ac sponsę factas: Item gratiarum actiones, quas Illi de Invitatione, Hi de adventu mutuas instituerunt; atq; adeò reliquum apparatum, quomodo sponsus in occursum convivis adventantibus miserit equites suos honoris causâ; Significata ex arce sit gratulatio de istorum adventu, cantu buccinæ, tibiarum, tympanorum, erectis vexillis. Quæ omnia nunc prætereunda sunt, non quod in illis enarrandis atq; audiendis etiam (Si saltem mediocris accesserit Oratoris industria) non sit insignis quædam jucunditas, sed quod tempore excludamur. Illud unum exponam, quomodo, habitâ copulatione legitimâ per Melchisedecum Sacerdotem, (cum deduceretur uterq; conjux ad thorum conjugalem) Orator Magus SMERDIS commendârit Sponsam Jsaaco. Quam orationem MAGI, quia digna quædam cognitu habet; tum sponsam diligenter commendat, placuit vobis enarrare: Vos æquis ac benevolis eam attendite animis atq; auribus.

Docilitatis causâ, 1. fit continuatio. 2. Dicitur summa. 3. Præteritio quorundam propter temporis angustiam, quæ est pars continuationis.

ORATIO MAGI SMERDIS.

Benevolentiæ & attentionis causâ, orditur à pietate.

Exordium. Quod precatus sum sæpius à Deo, & parentes Rebeccæ, & Abrahamus, atq; Jsaacus, jtem utraq; familia, ut Parentibus vivis liberi hi sui honestè elocarentur; id hodiè divinitus contigisse gaudeo Mihi, Parentibus & Familię gratulor: Est enim Parentibus gaudium &c. Liberis decus cum familijs honestis & pijs conjugio copulari &c. Parentes magnâ curâ sobolem enutriunt; ad pietatem atq; honestatem educunt; comparcunt bona &c. Sed ista omnia frustra sunt, nisi adjungatur honestus conjux, hic ista omnia augebit: at conjux impius, nequam, malè institutus, corrumpet alterius conjugis pietatem, probitatem, bona atq; opes. Itaq; meritò nobis gratulamur hoc par conjugum nunc copulari, verè par propter familiæ decus; parentum cognationem; pietatem ac morum candorem, utrinq; paria.

Tractatio. Quod enim attinet sponsæ originem, &c.

1. Commendetur Patria Regio, Natio, Parentes, Fratres, Affines.
2. Educatio fingatur.
3. Natura.
4. Mores: præcipuè Pietas erga Deum, Parentes, fratres, sponsum, erga pauperes; tum virgineæ illæ virtutes, castitas, Linguę continentia, Industria ac labor, Humilitas, Mundicies ac studium formę mediocre.
5. Habitus alij: Peritia rei familiaris, peritia nendi, colum exercendi &c. Peritia Bibliorum & sacræ lectionis, peritia historiæ, linguæ elegantia &c.
6. Forma ac Venustas paucis saltem commendetur; ad Deum referatur.
7. Actiones: si libet poteris fingere Exempla quædam singularia, quomodò aliquid aliquando fecerit, piè, prudenter, castè, studiosè, humiliter &c. aut dixerit, & quas soleat hujus generis sententias usurpare.
8. Fortunas & passiones. A parentibus fuit dilecta; à fratre culta; ab omnibus observata; Deus etiam dilexit eam, semper benedixit laboribus, & nunc præcipuè hoc patet ex hoc felicissimo conjugio; quemadmodum sic solet suos beare Deus qui se timent &c.
9. Domi apud Parentes semper fuit educata; & libenter fuit domi: Hoc decet virgines &c.

10. Ætas est &c. Olim tenera ætate & infans fuit pia, prudens; cum esset quinq; annorum, fecit hoc vel hoc.

11. Dos extenuetur; & petatur ut boni consulat Jsaac.

CONCLUSIO. Petatur ab Jsaaco ut habeat sibi charissimam; admoneatur officij etiam ipsa &c. Fiant preces.

III.
ACTUS TERTII
Pars altera.

CONTINUATIO.

ELEEZER respondet SMERDI Mago, prædicat JSAACUM.

EXORDIUM. Orationem SMERDIS Magi, quâ Sponsam Jsaaco commendavit audivistis: Nunc quid Eleezer Abtahami Cancellarius responderit cognoscite. Fertur enim hujusmodi orationem habuisse: Verissima esse, Mage SMERDES vir excellentissime ac Doctis: quæ tu pro pietate tuâ atq; eloquentiâ insigni gravissimè disserebas de singulari divinæ providentiæ opere in istis conjugum novellorum nuptijs, non Ipse tantum clarissimo didici experimento; sed mecum fatentur Principes mei, deq; eâ divinâ clementiâ magnoperè sibi gratulantur; neq; Hi tantum, verum etiam universa ista corona astantium Virorum, Matronarum, ac Convivarum illustrissimorum, nobilissimorum, excellentissimorum, humanissimorum, uno ore atq; animo divinam ea in re bonitatem mirantur ac deprædicant: Imprimis Illustrissimus sponsus, Princeps ac Dominus meus clementissimus, mirificè sibi gratulatur, idq; habet persuasissimum, non, nisi à singulari Dei favore, potuisse sibi contingere sponsam futuram Illustrissimam ex tam illustri familia & sibi cognata oriundam; tam accuratâ institutione educatam; adeò illustrissimis naturæ dotibus ornatam, tantâ pietate, morum probitate, ac candore heroico, optimis artibus & peritiâ dignâ tàm heroico animo, eâ pulchritudine: ne reliqua nunc repetam. Itaq; id sanctè promisit Sacerdoti; idq; nunc iterum promittit; vultq; ut soceri sibi habeant certissimè promissum, se conjugem suam amore ardentissimo prosecuturum atq; amplexurum. De mutuo verò amore atq; obsequio Rebeccæ conjugis nihil se dubitare, Neq; causam esse cur hujus conjugij facilè spon-

ſam ac parentes omnemq; adeò familiam pęniteat: Etenim, quod attineat Natales Jſaaci ac Familiam, notam eam eſſe, nec egere prædicatione.

Prædicetur I. ABRAHAM.

1. Majores communes cum REBECCA: nam Rebeccæ avus fuit frater Abrahæ.
2. Abrahæ pietas. Fuit enim hæc valdè inſignis; appellatur Pater i. e. exemplum omnium piorum; omnis generis virtutibus fuit ornatus. Enarrentur quædam.
3. Inſigni peritiâ præditus rei domeſticæ; jtem militaris; jtem Aſtronomiæ, quam ipſe primus creditur Ægyptios docuiſſe.
4. Eſt Princeps; habet magnas opes; familiam magnam: Gen. 13. 2. C. 14. 14. C. 24. 35. Sed non habet propriam regionem, quia Deus hoc noluit, qui olim per miraculum vult tradere poſteris omnem regionem terræ Canaan, multa ſcilicet regna.
5. Geſſit bella; coluit agrum; excepit hoſpitio Angelos.
6. Deo fuit chariſſimus; multa didicit in iſtâ peregrinatione ſuâ.

Prædicetur II. SARA.

SARA mater eſt pia; proba; multis ornata virtutibus; peperit per miraculum anno ætatis 90. piè defuncta eſt, Gen. 23.

III. JSMAEL.

Frater JSMAEL potentiſſimus Princeps. Gen. 25. 12. &c.

IIII. JSAAC.

1. Educatio fingatur Jſaaci.
2. Natura:
3. Mores:
4. Alij habitus; quarum rerum ſit peritus.
5. Corporis dignitas digna Principe; tum robur conveniens ætati virili:
6. Relationes; Authoritas apud ſuos; ipſius amor erga ſubditos; ſubditi obedientes, divites, probi, boni &c.
7. Actiones: Fingantur aliqua ſingularia Exempla, Quid aliquando dixe-

do dixerit aut fecerit prudenter, piè, fortiter, temperanter, liberaliter &c.

8. Fortunæ; singularis Dei amor; cum isto pepigit Deus fœdus: Narretur historia. Genes. 22.

9. Cum Patre semper abijt in diversas regiones; atq; ex istâ peregrinatione multum didicit; non tentatus qualia scit? Syr. 34. v. 6.

10. Hæredem paternorum bonorum hunc unicum fore: Itaq; sperare se à Deo, quin sic satis habituri sint bonorum, modò timeant Deum, & vivant suâ sorte contenti: Dotem sponsæ esse satis splendidam, nec egere excusatione.

CONCLVSIO. Nihil restare, nisi ut Deo commendentur conjuges pijs omnium votis; eaq; in re se velle nunc verbis præire: Precari igitur à Deo Opt. Max: &c. Vid. Gen. 22. v. 6.

IIII.
ACTUS QVARTVS ET ULTIMVS.
Describitur peractum nuptiale convivium.

CONTINUATIO.

Postquam eam habuisset orationem ELEEZER, Magus SMERDES accedens & sponsam leviter tacto pallio ducens, osculatus manum; & genu flexo tradidit eam Isaaco; atq; iterum fausta omnia utriusq; Celsitudini precatus est. Deinde accessit senex Abraham baculo innixus, & ductus à puero, magnificâ indutus talari tunicâ, striatâ, sericâ, suffarcinatâ pellibus lynceis; amplectitur sponsam; præ gaudio non continet lachrymas; filiam appellat; jubet amare maritum; Deum colere; benedicit à Deo. Et hîc venit in mentem SARÆ: O utinam tu mea Sara, inquit, istum diem videre potuisses. Et istâ mentione totus effusus est in fletum atq; ejulatum: SPONSUS non potuit abstinere à lachrymis; texit igitur faciem sudariolo: Omnis COHORS astantium mulicularum clarâ voce ingemuit; quædam etiam flerunt: SPONSA rubore suffusa est; oculos dejecit; consolatur socerum; promittit obsequium & observantiam. Cum redijsset ad se Senex, jubet afferri torquem quendam, pallam, coronulam, monilia, armillas, annulos, tum poculum insignis magnitudinis ex purissimo auro Arabico: (Describantur singula) His ornat sponsam. DEINCEPS.

1. Reliqui accefsêre, frater JSMAEL, &c. gratulati ſunt; obtulerunt munera &c.
2. Dato ſigno ab Aulæ præfecto omnis generis Muſicis inſtrumentis perſtrepuit aula.
3. Convivæ ad menſam deducti.
4. Deſcribatur palatium, conclavia, laquearia, pavimenta, parietes, menſæ, ſcamna, ſtragula: roſæ ac omnis generis flores ſparſi, jtem ornamenta parietum, picturæ, aulæa. Picta erat hiſtoria mundi creati, imagines Patriarcharum: Enumerentur & ſubſcribantur ſingulis Symbola vel ſententiæ, quibus ſint uſi: tum diluvium, ædificatio turris Babylonicæ.
5. Deſcribatur apparatus: quæ vaſa, quæ fercula, quot miſſus, quot vini genera, quæ genera carnium, quæ piſcium appoſita; In ſecundis menſis quid adhibitum.
6. In menſa quæ colloquia: Abraham interrogatus à junioribus de Patriarchis illis appictis, (quorum aliquos ipſe viderat, imò ipſum Noachum) tum de turri Babylonica, quæ audiviſſet ex Noacho.
7. Omnis generis Muſica inſtrumenta adhibita: Cuidam fides pulſanti pueri ſuccinebant carmen, quod JSAACI Præceptor fecerat de Sodomorum miſerabili everſione: Convivæ igitur univerſi in triſticiam converſi; indignatus eſt JSMAEL; increpuit Muſicum; juſſit lætius quid canere: At Pater leniter monuit etiam in læticia pietatis habendam rationem; & cogitandam Dei iram, ne luxurie efferamur.
8. Demum remotæ menſæ; choreæ inſtitutæ: Famuli ſic ocium nacti ingurgitârunt ſe vino; Unus, qui cum Eleezere in Meſopotamiam abierat, cœpit contemnere regionem: Id tulerunt indignè Meſopotamij, famuli ſponſæ, jtaq; primùm jurgijs, deinde advocatis utrinq; auxilijs, gladijs cæperunt certare; & magnas dediſſent turbas, niſi aulę Magiſter interveniſſet, & alios in carcerem, alios ex aula exturbaſſet.
9. Totis diebus octo celebratæ nuptiæ. Tandem dimiſſi convivæ. Legatus Smerdes alterum octiduum detentus, dum pararentur ad Soceros literæ & munera.



V.

NARRATIO POETICA DE NATIVITATE Honoris.

Vel:

Quomodo natus sit HONOR ex LABORE & VIRTUTE parentibus.

EXORDIUM. Ridentem dicere verum, Quid vetat? inquit HORATIVS in arte Poëtica, idq; de Poëtarum figmentis: Imò dicerem Ego: Quàm juvat! Vix enim dici poterit, quàm juvet ac commendet gravitatem prudentium sententiarum color iste, atq; ornatus, & pictura elegantium figmentorum. Quale illud est Poëtarum quod fingunt nuptias inter se celebrasse LABOREM & VIRTUTEM, & ex hoc matrimonio natum esse HONOREM. Quo hoc dicere voluerunt: non nisi labore & virtute ad honores aditum patere. Placet igitur ingenij causâ nuptias has, & nativitatis solennitatem narrare: Audietis res non jucundas magis, quanquam maximè, quàm utiles ac gravissimas, si hujus paucissimi temporis usuram, & benevolæ attentionis vestræ copiam non denegaveritis.

Laudat 1. Fictas narrationes.

2. Præsentem.

NARRATIO: Describantur,

I. Personæ: LABOR Deus est; Origo illegitima; fuit natus olim ex Fastu & Justiciâ per vim stuprata; educatus fuit duriter &c. Fingantur Similia. Altera persona VIRTUS ex Sapientia genita &c.

II. Res gesta prima, NUPTIÆ: Antecedentia Occasio & Causę: LABOR erat in famulitio Jovis; charus Jovi: VIRTUS pulchra & nubilis; UTERQ; petijt à Parente Iove nuptias, itaq; Iuppiter passus est.

MEDIA: Nuptiæ magno luxu celebratæ.

CONSEQVENTIA vixerunt satis suaviter & concorditer.

III. Res gesta altera, vel NATIVITAS. Præmittantur hic reliquæ circumstantiæ. Ut:

IV. TEMPVS: annus à nuptijs vigesimus, nam tot annis fuerat infœcunda virtus: Tandem miserta est LVCINA, & deprecata est Iovem pro virtute, ut fæcundam faceret. Ver erat quando peperit Vir-

tus: Deſcribatur Ver. Aliquot diebus ante erant multæ tempeſtates.
V. Exulabant in terra conjuges ejecti à Iove, quod hunc offenderant fortè; in inſulis fortunatis ibi enixa eſt infantem Virtus. Labor mercatus erat ſolum quoddam, ibi extruxerat magnificum palatium: Deſcribatur palatium aliquod.
VI. Perſonæ intervenientes: Obſtetrix, Lucina partus Dea, tum aderant Iuno & reliquæ Deæ.
VII. Res ipſa:
1. ANTECEDENTIA: Magnus erat Dearum concurſus; advocabantur per Iridem; multus ornatus in ædibus; magna ſollicitudo; fauſta precabatur quælibet prægnanti.
2. MEDIA: enixa eſt magno dolore.
3. CONSEQVENTIA: 1. Magnum obortum eſt gaudium; Gaviſus eſt Pater; accurrit; amplexus eſt infantem; ceciderunt præ gaudio lachrymæ; in ulnis ipſe ad matrem pertulit ut huic redderet, & gratularetur de puerperio. 2. Tempeſtas ſtatim illuxit ſerena. 3. Iuppiter avus gaviſus eſt; reconciliatus eſt liberis allato ad genua ejus & in gremium depoſito infante. 4. Apparatum eſt convivium, vocati ſunt omnes Dij per Mercurium. 5. Advenerunt. 6. Collocati ſunt menſis. 7. Appoſita fercula, vina; inſtitutæ choreæ; Inter pocula confabulabantur de varijs rebus; Inter VULCANUM & MARTEM litigia quædam inciderunt propter vetus odium &c. 8. Nutriculæ & cuſtodes additæ infanti, Gratię tres, Gratia Principum, Gratia conſiliariorum, Gratia vulgi.

CONCLVSIO. Non opus eſt monere, A. O. eſſe iſta ſic ficta, Sed hoc fieri ſanè oportebat; ut oſtenderetur, quid ſingulis iſtis partibus ſignificaretur ad prudentiam politicam pertinens: Sed nec patitur tempus, & vos veſtrâ induſtriâ poteritis facilè plurima conjecturâ aſſequi.

VI.
INFANTIA ET PVERITIA JACOBI ET ESAVI.

EXORDIVM. ÆLIANVS, lib. 12. hiſt. 56. DIOGENES Sinopenſis multis verbis in inſcitiam & inertiam Megarenſium invehebatur, dicebatq; : ſe Megarenſis alicujus arietem eſſe malle quam

filium;

filium. Quo sugillabat, quòd Megarenses pecorum diligentiorem curam gererent quàm liberorum. APPLICETUR ad rem præsentem.

NARRATIO.

I. Lactatio:

Primùm Mater voluit utrumq; infantem suis uberibus alere.

2. Addatur CAUSA: 1. ut, unde naturam primùm accepissent rudem atq; informem, inde porrò acciperent alimentum atq; incrementa: 2. Ne dimidia esset mater: 3. Ne frustra sibi datæ essent mammę: 4. Ne, quod ferę pręstant officij suis catulis ipsa homo denegaret filiolis: 5. Ne lac, à Deo per parentis ubera porrectum, ipsa scelerate præriperet &c.

3. Maritus ISAACUS consensit ut unum infantem lactaret ipsa: dissuasit ne utrumq;, ne exhaurirentur vires.

4. Delecta est ex ancillis nutrix, bonæ valetudinis, pia, proba, sedula:

5. Addatur causa: ut sic cum lacte infans sugeret naturam & mores probos: Multum enim ad mores & naturam infanti ingeneranda valet ingenium nutricis, & lactis natura &c. V. GELL. lib. 12. c. 2.

6. Huic commisit majorem natu infantem ESAVUM: JACOBUM ipsa retinuit alendum suis uberibus. Addatur causa.

7. Mater prope lectum suum habebat cunas: jtem jubebat nutricem dormire; noctu vix committebat lumina somno; sæpè terrebatur insomnijs, videbantur enim infantes aliquid mali pati; jtem, omni levissimo strepitu excitabatur, &c.

II. Incessus & primus linguæ usus, jtem ablactatio: Attigerant mensem 16. ætatis: Ibi nutrix impetravit à matre vehiculum quoddam cum quatuor rotulis &c. Describatur: hoc ipse impellebat infans; videbatur delectari isto suo conamine; pater & mater arridebant; arrecto pomo aut aliâ re pulchrâ invitabant; accurrenti dabant osculum; paulatim solus discebat sine istis adminiculis incedere &c. Deinde etiam incipiebant Infantes Patrem, & matrem, & mammam, & simile quid nominare, Valdè eâ re delectabantur Parentes: Pater quando à publicis negocijs ocium erat, hîc divertebat ad puellos suos, cum his colludebat, valdè enim hoc suave est &c. Idem narrant

de HERCULE: SOCRATE Æl. lib. 12. c. 15: AGESILAUS, Rex Lacedęmonius, deprehensus aliquando est equitare in arundine cum pueris, idq; , cum rideretur à quodam, nihil commotus: Mi homo, inquit, nihil prius temerè de his lusibus judicaveris, quàm & ipse gignas. Cum triennio essent lacte nutriti, ablactati sunt: Parens fecit convivium magnum: Ibi etiam aliam prolem precati sunt convivæ.
III, Educatio & institutio pueriles: Cum primum fari didicissent, docebantur brevissimas precum formulas: tum mater quotidiè inculcabat de Deo, angelis, vita æterna, pulchritudine cæli, de pietate, probitate, de pulchra tunica, catenis aureis, rosis plurimis, equo ligneo optimo, & puppis bellulis, quæ Deus daturus sit probis & pijs. Deinde etiam capita fidei docebantur, decem præcepta, orationem, Symbolum quoddam, de Sacramentis &c. hæc jubebantur quotidiè memoriter recitare. ITEM in moribus elegantiæ tradebantur, esse capillis pexis, vestibus purgatis, facie & manibus lotis, cum sodalibus non rixari, hospites salutare, tacitum astare, & vultu modesto &c.

EPILOGUS. Fiat Repetitio, & Querela de neglectu institutionis puerilis nostris seculis.

VII.

EDUCATIO ESAVI ET JACOBI, vel Adolescentia.

CONTINUATIO.

EXORDIUM.

I. DOCILITAS causâ connectet hoc exercitium cum superioribus, ubi de Nuptijs, Nativitate, Infantia, & Pueritia institutæ erant declamationes: Igitur commodè videtur fieri, si nunc Adolescentiam sumamus describendam, in quam cadit educatio vel institutio. Et quò aptior videretur ista fictio & enarratio, sumsi educationem ESAVI & JACOBI enarrandam, quos constat sanè esse quam diligentissimè à pio parente institutos, etiamsi ratio & modus non extet. Eum igitur aliquem hic fingemus, quàm possumus optimum quemq;.
II. ATTENTIO & benevolentia.

Audietis quædam utilia, jucunda, tùm pertinentia ad nostram ætatem. Ignoscetis & veniam dabitis, si pro rei magnitudine non dixero satis ornatè, aut si non fuero omnia complexus &c.

Descri-

Describantur;

I. TEMPUS vel ætas & occasio. Hactenus Esavus & Iacobus sub parentum fuerant disciplina, qui illos diligenter informârant in capitibus pietatis; precum formulis; tùm linguâ maternâ eleganti; & moribus componendis; in appellandis modestè hospitibus; manuum osculo; genuflexione; tùm ut nossent cum silentio interesse sermoni parentum, aut peregrinorum, & mensæ; item alicubi discedere, si res arcanæ agerentur; tum ingenuè vultum componere; incedere eleganter sine ineptijs; eleganter comam componere & vestes; & similia, quæ discit ista ætas. ATTIGERANT annum octavum, hic liberiorem captabant vivendi occasionem: præsertim Esavum vix Mater poterat continere in officio; incipiebat ille matris blanditias & monitiones irridere; minas contemnere. Pater Senior, & distentus negocijs aulicis, non poterat præesse disciplinæ. Missis literis ad Labanum in Mesopotamiam, petierunt, ut prospiceret de viro docto quodam & gravi, cui possent filiolos rectè committere: Finge literas.

II. PRÆCEPTOR. Ille commendavit Danielem quendam Magum, vel Philosophum &c: Describatur 1. ab habitibus, 2. à moribus, qui debent adesse Præceptori.

III. LOCVS. 1. In aula tradiderat Pater Conclavia quædam in angulo quodam, à turba & strepitu remotiori; propè hortum; loco editiori & perflatili; unde jucundissimus ab omnibus partibus erat prospectus: in hortum, in campum, in Sylvam, in fluvium quendam proximum; ante conclavia area erat, ubi ambularent, luderent &c. 2. Sed aulici ministri crebrius illuc arrepebant Pręceptore alibi occupato; insinuabant se nimis in familiaritatem adolescentum Principum; corrumpebant varijs persuasionibus, cavillationibus Præceptoris, disciplinarum, institutionis &c. abducebant ad ocia, potationes, ad equos, alia periculosa; alienabant animos à studijs. 3. Itaq; Pater cum Præceptore jussit avehi in arcem quandam veterem, solitariam in Sylva (Describatur amænitas) unde septimanis singulis vel accersebantur à parente, vel ipse parens ibi visitabat.

IV. QUID, vel, Res quibus sint instituti: 1. In lingua Chaldaica. Commendetur utilitas ratione istorum temporum. 2. In Logicis. 3. In Rhetoricis. 4. In Ethica. 5. In Politica. 6. In Oeconomica. 7. In hi-

storijs. 8. In Mathematicis, in Geometria, Arithmetica, Astrologia, 9. In Physicis, in Medicinâ.

V. Modus. Manè legebant & tractabant Sacra per horam: preces, lectionem Bibliorum, repetitionem capitum doctrinæ cælestis. Deinde prælegebat aliquid Præceptor, quod tertiâ horâ illi repetebant & meditabantur. Quartâ semihorulâ commentabantur vel scribebant aliquid aut styli aut eloquentiæ causâ. A prandio, in Musica, & Arithmetica, tum picturâ literarum & scriptione exercebantur.

Quoniam & requie aliquâ atq; ocio & vacatione ab istis laboribus opus erat, de his audietis ex eo qui post me dicturus est.

VIII.
DE LUDIS ET OCIO ESAVI ET JACOBI Adolescentum.

Exordium.

Dicetur 1. de rebus Magnis. Ausonius.

I. Ab Attentione:

studium puerile fatiscit,
Læta nisi austeris varientur festa profestis;

i.e. Literarum studia perpetua tandem alienarent animos Adolescentum, nisi feriæ quædam intervenirent & ocia &c. Tractetur. 2. Sed multum interest, ut hoc ocium rectè collocetur: Multò enim maxima adolescentum pars malè sibi per ætatem consulens, aut nimio aut inhonesto ocio se committit. De quo Ovid. 1. de Pont. & 6.

2. De Necessarijs.

Cernis, ut ignavum corrumpant ocia corpus?
Ut capiant vitium, nî moveantur aquæ?

Dicitur Summa.

II. A Docili: Igitur ex Esavi & Iacobi historia audietis, quibus exercitijs, aut cui quieti ocium illud literarium impendendũ sit &c.

NARRATIO.

I. Exercebant se pilæ lusu.

Describatur.

1. à Causa, vel, Utilitate: Quid spectârit Præceptor, dum hunc ludum permitteret.
2. Loco: Describatur Area.

3. TEMPORE: ante prandium vel cœnam.
4. MODO: Describantur varia genera hujus ludi: majori, minori pilâ &c.
5. SOCII vel collusores è vernis & libertinis assumti, (quos Parens addiderat studiorum Socios, acri & industrio ingenio natos) ut horum industriam æmularentur filij.
6. RES GESTA. Describatur ludus, tum accidentia: 1. habuerunt Inspectores & Judices; Præceptor dedit leges; (Fingantur aliquæ) Inter illas erat, ut loquerentur Chaldaicè etiam inter ludendum &c. Præceptor ipse aliquando aderat. 2. Rixati sunt aliquando, hoc vel hoc modo, hac vel illa de causa. Fingantur aliquæ. 3. Item Esavi fortè imprudentiâ aliquâ, oculum pilâ percussit Jacobus, & graviter delatus cum excusasset se, culpa dimissa est: id doluit Esavo, & inde aliquot dies inter fratres lites. 4. Item Esavus improbus, semper vexabat fratrem; molestus erat; rixabatur, defraudabat &c.

II. Ludus deambulatio.

1. TEMPUS: à prandio, & cænâ, aliquando manè, veris & æstatis tempore, item per horam, rarissimè ultra horam.
2. LOCUS: in area, in Sylvam, in hortum, in agrum, ad fluvios.
3. CAUSA: Sanitas, Recreatio, ne defatigarentur: Quia insalubre est statim à prandio occupari; tum erudituli sermones de herbis, arboribus, & omnis generis naturalibus rebus, quæ occurrebant in agro; de varijs pulchris delectamentis, historijs, fabulis, sententijs, jocis &c.
4. SOCII: Præceptor comitabatur inspectionis & eruditionis causa; item famuli periculi causâ; item socij studiorum: Quos perpetuò eosdem habere filiolos voluit Pater ociorum & negociorum.
5. MODUS: equo: curru, pedibus, navi &c.
6. RES GESTA: Colligebant atq; inspiciebant herbas; discebant arborum genera; & utilitates; tùm variarum ferarum, avium, piscium species &c. Fingantur varia accidisse; alicubi venisse in periculum; alicubi aliquid mirum vidisse. Jacobus avidè omnia cognoscebat: Esavus de feris libenter, de reliquis non item audiebat: Jacobus libenter audiebat historias graves, pias, honestas: Esavus ludicras &c.

III. Ludus Equitatio.

Fingantur similes circumstantiæ.

IV. Ludus Exercitium sagittandi &c.

IX.

VIRILIS ÆTAS OCCUPATA VARIIS NEgocijs belli pacisq; tempore; Sacris, imperatorijs, Oeconomicis &c.

HISTORIA TURCICA.

NARRATUR occasio. BAIAZETES Imperator Turcicus secundus, filius Mahumetis, imperij æmulum habuit Zizimum vel Gemem, fratrem natu majorem: Qui cum viribus impar esset Bajazeti, & aliquoties in prælio occubuisset, fugit in Italiam ad Pontificem Romanum, INNOCENTIUM VIII, auxilia quæsiturus ubi per decennium commoratus etiam in Galliam ad Carolum VIII. pervenit, tandem veneno extinctus creditur in Italia. A. C. m. 1469.

Hanc historiam, tum res, à Turcis & varijs Christianis Principibus contra istos gestas, consilium est paucis & compendio enarrare. Vos oramus, ut benevolas & attentas aures atq; animum nobis præbeatis.

I. Zizimus venit Romam cum conductu Magistri militum Rhodiensium, splendidè excipitur: Fingatur Modus.

II. Cum per octiduum commoratus fuisset parat Pontifex venationem; aderant Cardinales; tùm Principes quidam, Duces, milites; invitatur etiam Zizimus: Describatur venatio: 1. Locus ingens, Sylva. 2. In medio varia tentoria, è quibus sedentes spectabant venationem, Papa, Cardinales, Principes, & in his Zizimus.

III. Rogatur Zizimus de litibus cum fratre, narrat rem omnem;

1. Quomodo sibi, tanquam primo-genito, debitum imperij honorem detulerit Mahomet Bassa, sed frater muneribus corruperit Janizaros, invehat in fratrem, in Janizaros.

2. Quæ prælia, & quomodo commiserit cum fratre: Describatur prælium. 1. apparatus. 2. pugna. 3. Eventus,

IV. Quâ ſpe ad Magiſtrum Rhodi atq; ipſos confugerit, & quâ occaſione.

V. Confiteatur Tyrannicè adminiſtratum imperium à ſuis Majoribus; multam vim illatam; injuriam factam Europæis; polliceatur ipſe meliora, Iuſticiam, pacem perpetuam, imò amicitiam, & quòd multa velit reſtituere.

VI. Rogavit aliquis, ut narraret hiſtoriam Turcicorum geſtorum: Etiamſi enim inquit, quædam etiam noſtri hiſtorici ſuper his ſcripſerunt: malim tamen ex te audire, num & veſtri annales cum noſtris conſentiant. Aſſenſêre Omnes: Ille recuſabat, quòd diceret ſe militem, ei rei, hiſtoriæ cognoſcendæ, non dediſſe multum operæ; tum non complecti omnia memoria potuiſſe; & demum rem odioſam eſſe propter vim hoſtilem perpetuam exercitam majorum ſuorum in Europæos. Convivæ iterum inſtabant. Hic cæpit narrare ea, quæ mox ex Ipſo audietis.

X.

ORATIO ZIZIMI TURCI QVA HISTOriam Regum Turcicorum, Majorum ſuorum, commemorat.

Plurimis quidem nominibus, inquit, (Pontifex Maxime, & Vos reliqui viri graviſſimi ac Nobiles) duobus tamen præcipuè difficilis eſt mihi hæc commemoratio: Primum quidem eſt, de quo etiam antea conqueſtus ſum, quod fui à primis pueritiæ annis pro more avito noſtro alienior à literis illis, quibus vos eſtis exculti; & ſic non novi compendia illa, & ornamenta ſermonis, quibus tædium prolixioris, & aliàs moleſtæ narrationis mitigari poterit. Alterum eſt, quòd de rebus proprijs & geſtis Meorum narratio mihi inſtituenda eſt: Itaq; ſicubi in vituperatione digna incidero; aliquo modo impius in meos fuero; ſi præclarè geſta tetigero, vos offendere potero, quoniam illa maximam partem adverſus veſtram gentem geſta ſunt: ſed quoniam omnino fert veſtra voluntas hęc à me audire, dicam.

Principiò noviſtis, Prophetam noſtrum MAHUMETUM natum in Arabia A. C. 596; & in ſuas partes adduxiſſe Arabas primum, & alios Aſię populos; hic conſcripſiſſe Alcoranum vel librum legum *Origo SARACENORUM.*

noſtra-

nostrarum. Hunc qui amplectebantur, SARACENI ab ipso Propheta dicti sunt, quasi germani Abrahę liberi ex SARA: Hujus enim Legem & fidem profitemur. SARACENI paulatim alios atq; alios populos sibi subjecerunt; vi & armis adegerunt ad recipiendum Alcoranum: id enim jusserat MAHOMET Propheta.

Origo TURCORUM. TURCI ex Scythia oriundi sunt; Primùm vagabantur per Armeniam pecoris pascendi causâ, qui vetus est Scytharum mos; nullam habent certam sedem: Quod & ex quodam vestro Poëta memini me citatum audire de Afris.

Sæpè diem noctemq;, & totum ex ordine mensem
Pascitur, itq; pecus longa in deserta sine ullis
Hospitÿs: tantum campi jacet; omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumq;, laremq;,
Armaq;, Amyclaumq; canem, Cressamq; pharetram.

Hinc TURCI. i. e. vagabundi dicti sunt. Pertæsi erroris istius dederunt se Militiæ: Multa gesserunt bella sub ducibus cum Persis & Saracenis. Cum His tandem pacti sunt, ut SARACENI nomen assumerent Turcorum: TURCI religionem Saracenorum & imperium, hisq; tributa penderent.

PRINCIPES Turcici. Tandem TURCI & horum excusserunt jugum. Principes sibi creârunt A. C. 1050. nempe:

1. ZADOCHUM, qui magnam Asiæ partem ad PONTUM EUXINUM occupavit.
2. DOGRISSAM, qui ad CONSTANTINOPOLIM usq; pervasit, & MESOPOTAMIAM redegit in potestatem, item CILICIAM.
3. ASPALEMUM, qui Nicæam urbem, Cappadociam provinciam, Syriam, & ipsum Imperatorem Constantinopolitanum Diogenem cepit A. 1076.
4. MELECLAM, qui urbem Antiochiam & multas Insulas subegit.
5. BALCHIAROCUM:
6. Fratrem hujus, qui insignem passi sunt cladem à Duce Lotharingiæ GODFRIDO BILIONEO.
7. ALADINUM & unà cum isto alios atq; alios, quia preme-

bantur

bantur à Tartaro, & GODFRIDO BILIONEO. Hic GODOFREDUS tandem occupavit Ierosolymas, Syriam, Ciliciam, Mesopotamiam, & dictus est primus Rex Jerosolymitanus à Christianis A. C. 1099.

Tandem in Græcorum regionibus & urbibus diripiendis recollegerant vires: Et cum oriretur inter principes dissensio de imperio, prævaluit OTTHOMANNORUM FAMILIA: Reliquæ oppressæ sunt. *REGES Turcici.*

Primus author familiæ nostræ OTTHOMANNUS dictus est è patria civitate, cum aliàs ex Oguciorum familia esset: propter virtutem dictus est primus Rex Muselmannorum vel Turcarum A. C. 1300. Narrentur res gestæ. Et sic deinceps Reliquorum.

2. ORCANUS, 3. &c. Annotetur Annus Chr: Interspergantur sententiæ Ethicæ, Politicæ, Militares &c. I. Mahometh.

II. Bajazethes. Et hic subsistit: Ceciderunt enim lachrymæ, cum incideret in mentionem regni sibi erepti, & juravit juramentum grande, quòd non sit illud scelus impunè laturus canis iste; sic appellabat fratrem Bajazethem. *IMPERATORES.*

XI.
RES ECCLESIASTICA VEL RELIGIO TURCARUM.

Excepit orationem ipse PONTIFEX: jubet ZIZIMUM animo esse bono & quieto; Deo rem committere: Nam scelera istiusmodi, inquit, non sinit Deus impunita; & Justitiæ Patronus semper extitit: Quiq; injuriam patiuntur, persuasissimum sibi habere debent, quòd ab ipsorum partibus Deus sit. Quanquam aliquandiu inferiores sunt, tandem tamen bona causa triumphat, secundum proverbium quoddam nostrum. Hi enim sunt Fortunæ lusus, quos pulchrè extulit Poëta ille lepidis versiculis:

Multa dies variusq; labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: multos alterna revisens
Lusit & in solido rursus Fortuna locavit.

Virg. 11. Æneid. Verùm, mi Princeps ZIZIME, inquit Pontifex, valde gestio ex te audire de religione vel lege vestrâ: Ejus enim me cupidum esse penitus noscendæ & diligentius inquirendæ facit officium: tum mira mihi sæpe narrata sunt de studio pietatis, ac Zelo vel devotione singulari gentis vestræ. De his, quæso te, ne peniteat nobis pauca narrare, certè rem feceris nobis, & consessui huic Principum gratissimam.

ORATIO ZIZIMI.

EXORDIVM.

Hic Zizimus: Quanquam, inquit, defeſſus nunc ferè ſum narrando, & animus mihi in alias tractus eſt partes, quando in iſtum de injuria dolorem incidi: tamen etiam hac in re vobis obſequar. Cognoſcetis autem res alieniores fortaſſis à veſtris auribus: quia ſcio vobis ſordere noſtram religionem. Quanquam fateor, in multis me etiam ejus vanitatem olfacere: ſed tamen propter novitatem non erit ingratum iſta audire, tum ſic rectiùs ex noſtro errore veſtræ doctrinæ ſinceritatem judicare poteritis. Zelum autem & devotionem ſcio ipſi mihi concedetis longe majorem in noſtris, quàm veſtræ religionis hominibus.

NARRATIO.

Principio Mahumetes Propheta noſter (cum mercaturæ daret operam; & ſic varias terrâ mariq; obijſſet regiones; per pietatem omnes frequentaret conciones; adiret templa & ſacra; conferret ſermones cum ſacerdotibus Ethnicis, Judæis, Chriſtianis: cum ſic omnium religionem probè percepiſſet; intelligeret ex iſto diſſidio variarum religionū omnes ferè in mundo turbas ortas) creditur à Deo monitus in eam cogitationem deveniſſe, ex omnibus iſtis religionum formulis unam quandam conficiendi, quam ille etiam confectam & ſcriptam AL-CORAN ſive Legem appellavit. Ajunt morbo caduco obnoxium fuiſſe, & hoc quoties affligeretur, finxiſſe ſe cum Deo collocutum eſſe: Noſtri credunt raptus divinos verè fuiſſe. Columba alba quædam in caput ejus devolare ſolita eſt, etiam in concione confertiſſimâ, quam ille dixit ſpiritum S. eſſe, dictantem ſibi leges: ſuſpicantur Quidam fuiſſe columbam vivam, cicurem, ſic aſſuefactam ut piſa ex aure MAHVMETI legeret. Primùm docuit MECHÆ per decennium: poſtea armis arreptis vi Arabas coëgit legi ſuæ obedientiam præſtare, & alios Aſiæ populos; & bellum omnibus indixit legem accipere recuſantibus &c. Narrentur reliqua, Mors, Sepultura &c.

Riſeb. pag. 16. II. LOCVS Religionis Mecha urbs; templum in ea; alia templa. p. 23.

III. QVID ſive πρᾶγμα, quas res tractent religionis cauſa: Vivunt ſecundum Alcoranum: Sed duplex eſt Secta: Alij Alcoranum intelligunt ſecundum litteram: appellantur Muſelmanni &c. pag. 18. Alij ſecundum ſenſum, dicuntur Sophi &c.

1. Quid credant. V. p. 19. & p. 26. & 31.
2. Quomodo precentur. pag. 20. & 24.

3. Quas habeant ceremonias: Lotionem; Circumcisionem; pag. 20. Sacrificia; 23. Conciones; p. 23. Mortuorum sepulturam p. 29.

4. Leges; quæ opera debeant facere; p. 18. pœna delinquentium; pag. 27. exercitium bonorum operum. ib.

IV. Tempus: festa 26.

V. Personæ: Sacerdotes pag. 26. Qui arceantur â templo, 25. Christiani quomodo habeantur pag. 26.

CONCLUSIO. Hæc memini, inquit, de patria Religione, in qua quod hactenus erravi cum Majoribus meis, ignoscat mihi Deus, sapiam rectius spero, si plenius instituar.

XII.

RES POLITICÆ & OECONOMICÆ TVRCARVM.

Ad eam Zizimi perorationē ingemuit universus consessus; & perpetuam eam ipsi mentem precabantur; tum capita conserebant; & mirabantur, quæ narraverat Zizimus de Mahumeto, imprimis super devotione Turcarum percellebantur admiratione, Assidebat fortè proximè latus Zizimi Rodericus Borgia Episcopus Cardinalis Albanus, Ecclesiæ Romanæ Cancellarius & Decanus, postea Pontifex creatus, & Alexander VI. Dictus: Hunc mirum tenebat desiderium plura ex Zizimo audiendi & cognoscendi: Itaq; sollicitabat ut & de imperij forma; legibus politicis; stratagematis; de privatorum consuetudine ac moribus; ac re Oeconomica narraret. Sed Zizimus constanter recusabat, quippe quem jam satietas ceperat istius laboris. Et Pontifex censebat non esse ulterius defatigandum Zizimum; & jam vesper appetebat. Itaq; redeunt ad spectacula venationis, unde omnium oculos atq; animos averterat suâ narratione Zizimus. Hic magna copia convecta erat cervorum, capreolorum, leporum, vulpecularum. Jubet Pontifex, ut paret se quisq; ad reditum in cænacula. Ibi Cardinalis Borgia hæsit perpetuus comes Zizimo, & diligenter quæsivit de Politia.

I. De gradibus Magistratuum, & familijs nobilium. Respondet Zizimus illa, quæ extant p. 34. & 36. 37. & sequentibus.

II. De imperij amplitudine p. 44. & 35. III. De Tributo p. 49.

IIII. De supplicijs p. 35. V. De conjugij legibus p. 6.

VI. De moribus: Commendat primùm Zizimus Temperantiam in *De Oeconomicis.*

victu, p. 7. Propositione 1. & 2. p. 8. prop. 7. 8. 9. Modestiam, dum non sectantur nimium cultum, p. 7, prop. 3. 4. item in amictu & ædificijs p. 9. Tolerantiam in laboribus subeundis p. 8. prop. 5. in accubitu ib. prop. 6. Pietatem p. 8. Fortitudinem; Liberalitatem; Amorem & studium honoris; Vrbanitatem; Veracitatem; Misericordiā; Prudentiam &c. p. 10. 11.

Dum sic Sermones cædunt, non sentientes perveniunt ad cænaculum, ubi cænâ opiparâ reficiuntur vires, & confabulationibus alijs fallunt tempus, donec cubitum iretur.

XIII.

CONTINVATIO NARRATIONIS SVPERIORIS.

HISTORIA PONTIFICUM ROMANORUM.

FINGATVR OCCASIO. Cum sic à venatione defessi essent Pontifex & Comitatus, postero die non est habitus Senatus: Itaq; Cardinalis Borgia invitavit Zizimum secum rus; & abduxit in prædia sua; ibi omnis generis delicijs refecit; (Fingantur aliquæ) Ostendit Magnificentiam & commoditates villæ, cænacula, Porticus, ambulacra, piscinas, hortos, itē Sylvas & lucos; (nam hos solitos Romanos concludere suis hortis author est Strabo) confabulantur de varijs rebus, de Jtaliæ fertilitate, urbibus, regnis, principatibus ac ducatibus, de Episcopis, ac Cardinalibus Pontificum; rem omnem edocebat Borgia. Jtem de Electione Pontificis prolixè erudiri petebat Zizimus; Miror enim, inquit, non ali ex istâ electione ita liberâ factiones (quolibet Cardinalium suam, & suorum rem agente.) Jtaq; leges exponit, & ordinem Pontificis eligendi, cujus summa poterit hic repeti ex librò Johannis à Glano. Demum deduxit in Bibliothecam suam instructissimam. Fingatur si placet. Venit Zizimo fortè in manum liber Platinæ de vitis Pontificū, & imagines vivæ, Hoc valde delectabatur; non poterat abstrahi per duas horas; singulas versabat paginas; singulorū Pontificum imagines intuebatur; tum in vitam & gesta inquirebat. Hic

Primus positus erat PETRVS Apostolus Domini nostri, Qui ab ipso Domino constitutus est Episcopus universalis totius terrarum orbis. Subrisit Zizimus: Hoc meus Mahomet, inquit, non credit, Et hic, inquit, credo est quem Nostri dicunt propter faciei similitudinem esse captum & crucifixum à Judæis, cum hi crederent se ipsum Christum crucifigere, qui vivus interim in cælum sublatus est. Arrisit etiam BORGIA.

Alter Pontifex Petri successor, pictus erat LINUS.
Tertius, CLETUS.
Quartus, CLEMENS &c.

Si quid singulare vel notatu dignum, vel ab Ipsis gestum est, vel ipsorum temporibus accidit, hoc notari poterit: Reliquorum saltem Nomina recenseantur. Si turpes fuêre Pontifices, legat hoc Zizimus ex libro: Si benè quid gesserunt, moneat hoc Borgia. Aliquando varietatis causa etiam Borgia de quorundam vitijs monebit; aliquando excusabit; aliquando ridebit &c. Annotetur alicubi annus Christi. Item qui Reges aut Imperatores tunc floruerint.

XIIII.
CONTINUATIO HISTORIÆ PONTIFICUM ad nostra tempora: & Historia IMPERATORUM.

EXORDIUM. A continuatione. BORGIA, iste cujus multa nobis facta mentio, post morte Innocentij VIII. creatus est Pontifex Rom. Celeberrimus propter flagitia, sua magis an liberorum dubites. Notum est Epithaphium filiæ Lucretiæ:

Conditur hoc tumulo Lucretia nomine, sed re
Thais, Alexandri filia, sponsa, nurus.

Alexandro isti successit PIUS III. Enarrentur reliqui usq; ad CLEMENTEM VIII.

TRANSITIO. Sed redeo ad Borgiam & Zizimum. Appetebat meridies; imò jam aderat; paratum erat prandium; & dudum expectabatur ut assiderent, coco moram indignante & stomachante: Vix tamen poterat a Platina abstrahi Zizimus. Demum assessum est. Conclave erat amplissimum. Ad caput convivarum & terga appictæ erant imagines Pontificum novellorum, item Cardinalium amicorum, & aliorum familiarium. Ex adverso Imperatorum Romanorum imagines vivis coloribus erant expressæ, à Julio Cæsare ad istius temporis Imperatorem Fridericum III. Hac occasione enumera alios saltem visos Imperatores; Aliquorum etiam res gestas commemoratas à Borgia maximè memorabiles ex vitis Imperatorum. Annotetur Tempus.

Alicubi varietatis causâ allegentur versus Ausonij aut Sabini, qui descripserunt item istas vitas; Item Symbola ex Reusnero; item Chronicon Charionis poterit consuli: item Godofredus collegit.

Ubi ad Fridericum III. deveneris, ipse fac digressionem, & continua historiam ad Rudolphum II. nostrum Imperatorem.

XV.

HISTORIÆ VARIÆ GEOGRAPHICÆ.

CONTINUATIO. Historia 1. Descriptio Orbis.

EXORDIUM à Continuatione. Prandio finito cum assurrexissent paululum, confabulatum est in area &c: Ibi jussit è cubiculo suo afferri Borgia tabulas aliquas Geographicas: ostendit Zizimo in unâ depictum universum terrarum orbem. Partes olim Tres, nunc Quatuor numerant. Sumatur descriptio popularis ex libris Geographicis ab habitatoribus. Maria quatuor majora, ambientia universum terrarum orbem. Monstrat Illi in ASIA urbes quasdam notas, sedes regni Turcici, ut Hierosolyma urbem, Mecha: in AFRICA Ægyptum, Alcair &c. Postea monstrat EUROPAM, minimam reliquarum partem sed fertilissimam: (commendetur.) Germania in medio ferè erat: Versus Ortum Polonia, Muscovia, Russia: Versus Meridiem & Orientem jacebat Ungaria, Ulterius Græcia, & hic Constantinopolis nuper capta à Turcis: Versus Meridiem Jtalia: Versus Meridiem & Occidentem Gallia, Ulterius Hispania: Versus Occidentem & Septentrionem Dania, Norvegia, Suecia. Dici aliquid poterit de singulis his regionibus, harum incolis, horum gestis &c.

Historia 2. Europæ descriptio.

Historia 3. Germaniæ descriptio.

Hærebat in Germania Zizimus, & quærebat quomodo ad hanc gentem imperium Romanam translatum sit, R. Borgia illa historica de Carolo M. fortè ex Chronico Charionis. Deinde quæsivit de potentia Germanorum. Hic recensuit Borgia Regiones Germaniæ. Regnum Bohemiæ in medio est quasi Cor Germaniæ: Versus ortum & meridiem Austria: Versus meridiem Bavaria: Versus meridiem & occidentem Svevia & Helvetica: Versus occidentem & nobis meridiem Hassia, Ulterius Frisia, Hollandia, Zelandia, & totum Belgium, quod appellatur inferior Germania i. e. Versus occidentem: Versus occidentem & Septentrionem VVestphalia: Versus Septentrionem Saxonia inferior & superior, Brunsvvicensis & Luneburgensis regio, Marchia & ulterius Megapolitania versus Occidentem. Ultra hanc Holsatia: Versus Orientem autem Pomerania, Borussia, & Ultra hanc Livonia: Ad Septentrionem & orientem propè Bohemiam, Silesia.

Potest interspergi mentio familiarum Illustrissimarum, tum aliquorum Principum; & fieri digressio in horum res gestas, in regionum fertilitatem; & alias historias &c.

Cum sic ad horam ista perlustrassent, in hortum amænissimum abduxit Zizimum Borgia, ut tandem à perpetua ista commentatione & commemoratione aliquantulam caperent vacationem.

XVI.
ÆTAS SENILIS VALENS CONSILIO.

Senatus habitus super causâ Zizimi.

CONTINUATIO. *Act. 1.*

Jam duodecim dies expectârat Romæ Zizimus, & tandem,

I. Indictus est Senatus Cardinalium ad 15. Cal. Aug. Ad Cardinales, qui ex urbe aberant, dimissi sunt tabellarij, Etiam ad Borgiam & Zizimum, ut die constituto adessent in Senatu.

II. Aderat dies; convenerunt in Basilica Petri; (quæ poterit describi) Cardinales magno numero, pompa magnifica eò profecti sunt; (Describatur pompa) Tandem etiam Pontifex accessit, multo comitatu; Describi poterit pompa) Zizimus comitabatur Borgiam; & adjunxerat huic comites quosdam; & oratorem adjunxerat quendam Muretum, virum doctum &c. (Describatur.)

III. Consessum est: Jussit Pontifex suum Sacerdotem ordiri à Missa (Describatur Missa ex Sleidano sub anno 1550.)

IV. Postea Orator Pontificis habuit orationem. Gratias agere Pontificem S. quòd Cardinales S. Sanctitati eam præstiterint obedientiam & ex mandato adsint frequentes. Dicet hac de re agendum. (Narret rem Zizimi.) Deinde adhortabitur ut pro fide & prudentia sua velint diligenter causam cognoscere, & cogitare quid agendum sit. Borgia jussu Pontificis assurgit: Licere Zizimo, inquit, proponere, quæ habeat ad Pontificem & Senatum.

Incipit Orator Zizimi.

Exordium. Totum se, ait, consternatum isto insolito aspectu tot gravissimorum virorum; hujus amplissimi loci; accedere magnitudinem causæ; miserias Zizimi: Nam timidiores sunt, qui fortunæ quodam quasi impetu dejecti aliorum astantium auxilium implorant: Consolari se tamen ipsorum humanitatem, pietatem, Causæ æquitatem. Petet ut se audiant benevolè, attentè; pollicebitur brevitatem, & probaturum se, æquissima petere Zizimum.

Narratio. Fiat per Præteritionem: Nota res est quid acciderit Zizimo: quomodo sit expulsus regno per injuriam à fratre natu minori;

cum quo aliquo prelio commisso, fortunâ usus est inclementiori; (ut sunt humana) Nunc vestrum implorat auxilium.

PROPOSITIO. De duobus videtur mihi potissimum laborandum in hac oratione.

I. Ut Zizimi voluntatem & consilium rectè vobis declarem.

II. Ut auxilia ferre vobis & facile, & necessarium, & honestum esse, & Reip. utilissimum demonstrem. Quæ ubi docuero, tum perorabo.

DE PRIMO.

ZIZIMI hoc Consilium est:

1. Ulcisci tyrannidem Fratris, nempè injustam cædem Fratrum; sui expulsionem è regno.
2. Petit saltem exercitum, Ille vult providere de stipendio honesto & liberali.
3. Si adfuerit inceptis Deus, perpetuam societatem & amicitiam panget cum Christianis.
4. Profligabit ex Turcia impietatem Mahometicam.
5. Restituet injustè erepta Christianis, imprimis Sanctam Terram, Palestinam vel regionem Judæam, & urbem Hierosolymam.

DE SECUNDO.

Auxilia ferre Pontifici,

1. FACILE est: abundat opibus & potentiâ; multum valet authoritas ejus apud Christianos Principes, unde vel solo nutu potest impetrare ingentem exercitum.
2. NECESSARIUM est: quia tyrannus istâ cæde fratrum efferatus non quiescet, sed nunc sitim suam conijciet in Christianorum sanguinem.
3. HONESTVM est, quia ipse est Præsul Justiciæ, jtaq; debet patientibus injuriam succurrere.
4. UTILISSIMVM est Reip. Christianæ; quæ magnum sentiet commodum ex illa cum Turcis pace æterna.

PERORATIO. Fiat,

1. Repetitio dictorum.
2. Moveatur misericordia: Moveat vos iste squalor tanti Principis, qui se vobis ad pedes abijcit, tam indigna passus est: Imo universus Christianus sanguis, qui crudelissima passi sunt ex Turcarum hostilibus armis, petunt hoc à vobis &c.

Cum perorasset orator, consultum est & collectæ sententię. Multos gratiâ & ambitione in suas partes adduxerat; multos pecuniâ corruperat; multos magnificis promissis: Plurimi tamen dissuadebant. Act. 6.

CONCLUSUM EST: Amplius esse deliberandum: Cum Principibus Christianis rem communicandam. Et sic delusus est Zizimus. Act. 7.

SEPTEM SAPIENTUM GRÆCIÆ SENTENTIÆ.

Sententia I. CHILONIS.

NOSCE TE IPSUM.

EXORDIUM. De Septem Sapientum appellatione & Origine talia memorant: Cum Adolescentes Milesij jactum retis emissent à piscatoribus Chois &c. Vide Diogen. Laërt. in vita Solonis. *1. Laudantur septem Sapientes.*

Hi cum convertissent se totos ad philosophandum de Moribus pręter Thaletem Physicum, delectati sunt breviusculis Sententijs, quibus multas ac gravissimas res complexi sunt. Et singulis una quædam attribui solet, cum tamen plurimis sint usi singuli: quòd hæc, quæ attribuitur, præ reliquis ejusdem Authoris videatur maximè insignis. Unde fit ut apud alios authores videas alias sententias ijsdem asscriptas. *2. Laudes sententiarum, quibus sunt usi in genere.* *3. Laudantur sententiæ Sapientū singulæ.*

Has Sententias; & Nomina Sapientum septem; & singulorum patriam artificiosè totidem versibus complexus est AUSONIUS: *4. Proponūtur sententiæ docilitatis causâ.*

Septenis Patriam Sapientum, Nomina, Voces,
Versibus expediam sua quemq; monasticha dicent.
CHILO, cui patria est Lacedæmon, Noscere seipsum.
PERIANDER trepidam Moderare *Corinthius* iram.
Et Mitylenæis, Nimium nil, *PITTACUS, oris.*
Mensuram optimum, *ait CLEOBULUS Lyndius,* in re.
Expectare *SOLON* finem *docet ortus Athenis.*
Plures *esse BIAS* pravos, *quem clara Priene.*
Mileti fugisse *THALES* vadimonia *alumnus.*

Libet nunc eas sententias diligentius considerare, & à Me quidem audietis, quàm sapienter dixerit CHILON: Nosce teipsum. Sapientissimè scilicet: unde ista sententia digna habita est, quæ foribus templi Delphici *5. Laus Sententiæ præsentis.*

inſcriberetur, tanquam à Deo profecta, non humano ingenio excogitata. Et hinc illud Poëtæ natum: de cœlo deſcendit γνῶθι σεαυτόν.

Paraphrasis. Hoc voluit dicere vir ſapiens: Omnem hominem oportet Sui cognitionem, i. e. naturæ, & virium, & facultatum, & reliquarum, quæ adſunt ſibi, rerum habere, meditari, attendere.

Indvctio Partium Subjecti. Debemus cognitam habere,

I. Naturam noſtram

1. Phyſicè: Corpus, Animam.
2. Moraliter: quomodo poſſit Ratio eruditione perfici; Affectus coerceri; Mores mali dediſci; Boni animo ingenerari.

II. Vires & facultates noſtras

1. Moraliter, ut, ad quam rem apti ſumus, ad quod genus vitæ, ad quam functionem, eam expediamus: ad quam inepti, eam ne tentemus.

III. Excellentiam noſtram

1. Theologicè, quod ſimus ad Imaginem Dei creati, ad Salutem: Quæ cogitatio faciet, ut piè vivamus.
2. Moraliter, ut hinc excitemur ad fugienda Vitia, ſectandas verò Virtutes.

IV. Infirmitatem noſtram

1. Theologicè, quod ſumus mortales, & quidem ſingulis momentis fieri poteſt, ut moriamur. Sic fiet ut ſimus pij, agamus pœnitentiam.
2. Moraliter ne nimis magnificè de nobis ſentiamus, ſed ſimus modeſti.

Similia, Exempla, aliæ Sententię ſingulis Inductionis partibus ſubjiciantur.

II.

APOPHTHEGMA PERIANDRI.

Σχόλυ κρατέειν, MODERARE IRAM.

Exordium.

I. Laudes Periandri.
II. Laudes Sententiarum Periandri.
III. Laudes hujus Sententiæ. Dicatur de Irâ, quàm magnum ſit malum, Itaq; virtutis inſignis eam temperare.

Paraphrasis. Hoc igitur præcepit vir ſapiens: Frena rationis inijcienda eſſe Iræ ferocitati, & cohibendam iram, ne hujus impulſu ali-

quid

quid committamus, cujus post factum nos pœniteat: Quod est sapientiæ, virtutis, laudis.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti, sive, Enumerentur Res & Tempora vel occasiones, ob quas, & Quibus irasci solent homines, & qui: addatur singulis hujusmodi quid, e. g. laudabile est, vel consuluit vir sapiens, ut in his modum servemus &c.

II. Partium Prædicati: Enumeretur, quot hic insint bona & commoda.

1. Est Sapientiæ vel Prudentis hominis.
2. Est Fortitudinis.
3. Est Modestiæ.
4. Est Mansuetudinis & Clementiæ.
5. Conciliat amicitiam, existimationem, benevolentiam hominum, laudem, & est occasio omnis generis actionum commodius expediendarum.

CONTRARIUM: Nimium irasci, & non servare modum in ira est turpe.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti: Alij irascuntur temerè, nullâ de causâ, facilè deponunt iras, sunt ridiculi: Tales sunt Pueri. Alij nimis magnas & graves iras concipiunt. Alij ijs irascuntur, quibus non debent, ut parentibus. Alij norunt dissimulare iram, interim gerunt in pectore: Hi sunt pessimi & nocentissimi.

II. Partium Prædicati: Enumerentur mala consequentia:

1. Est stultitiæ argumentum.
2. Ignaviæ & audaciæ.
3. Superbiæ.
4. Et omninò pessimi animi.
5. Affert multa incommoda; odio habetur talis homo; ab omnibus malè audit; ad nullas dignitates provehitur; Cum nemine potest conversari; omnes conversationes & hilaritates interturbat.

Similia, Exempla, Testimonia veterum, singula subijciantur singulis Inductionis partibus: Huc autem apponi poterunt universalia.

EPILOGUS.

I. Repetantur plæraq; Inductionis capita.

II. Fiat collectio quod verè fuerit prudens PERIANDER qui ista omnia sit complexus tàm brevi sententiâ.

III. Adhortatio ad fugiendum Iram.

III.

Χρεία PITTACI.

Μηδὲν ἄγαν,

NIMIUM NIL, Auſonius *vertit:*

NE QVID NIMIS, Terentius.

EXORDIUM.

I. Laudes Pittaci: Fuit meritò inter Sapientes relatus.

II. Laudes ſententiarum PITTACI.

III. Laudes hujus Sententiæ: Egregia eſt & inter reliquas PITTACI, & inter Sapientum Sententias. Terentius dicit: Hoc eſſe in vita apprime utile. in Anđ: 1. 1.

PARAPHRASIS. In omnibus rebus danda eſt nobis opera, ut, quod modum excedit diligenter fugiamus.

INDVCTIO.

I. Partium Subjecti, vel, Quibus in rebus, & à quibus ſit fugiendum Nimium. Jubet His vel Illis, vel, monentur Hi vel Illi. Monentur a PITTACO &c.

1. Juvenes. 2. Viri.
3. Senes. 4. Studioſi literarum.
5. Servi. 6. Domini.
7. Pauperes. 8. Divites &c. in his rebus, in Affectibus: Irâ, odio. cupiditate, dolore, miſericordiâ, amore. In Actionibus: in adeundis periculis; in ſectandis rebus jucundis; in opibus acquirendis, conſervandis, elargiendis; in ſumtibus; in opinione de nobis; in geſtibus; veſtitu: in declinandis vel perſequendis honoribus; in perſequendo injurias; in converſatione; amicitiâ; in jocis; in ſimulando ac diſſimulando; in deligendo vitæ genere; in laboribus &c.

II. Partium Prædicati, vel, Nimij. Notetur autem hîc: Sententias Ethicas ſemper intelligi quodammodo modales, hoc modo: verum eſt: falſum eſt: bonum eſt: malum eſt: laudandum: ſectandum: fugiendum: repræhendendum eſt. Itaq; Prædicatum hîc geminum fieri poteſt. e. g: Nimium & Malum.

Nimium committi poteſt: ſi quis,

1. Non

1. Non cogitet personam suam; aut eorum, cum quibus agit; Item originem &c.
2. Non cogitet rem præsentem; majorem viribus suis; turpem; non posibilem; non necessariam.
3. Locum, Tempus, Modum, Causas, Non convenientia.
Malum: fit hoc,
1. Turpiter, contra omnis generis virtutes.
2. Inutiliter, imò cum damno & jactura facientis; jacturâ honoris, existimationis, valetudinis, eruditionis, omnium virtutum, & reliquorum bonorum.

CONTRARIUM est, ut servetur Modus. Quod alius considerabit.

Similia, Exempla, Sententiæ aliæ tractentur, vel, subijciantur singulis partibus Inductionis: Item quædam huc inserantur Universalia, i. e. in genere confirmantia hanc sententiam.

CONCLUSIO. 1. Repetantur plæraq; inductionis capita. 2. Fiat Adhortatio: Fugiamus igitur excessum in omnibus rebus, præsertim adolescentes in studio & sectatione ocij, & rerum jucundarum &c.

IIII.
χρεία CLEOBULI.
Μέτρον ἄριστον, MENSURA OPTIMUM.

EXORDIVM.

Lavdes præsentis sententiæ: Virtutis perfectio est mediocritas, Itaque complexus est Cleobvlvs omnem virtutis rationem; actionum perfectionem; felicitatis nostræ summam uno quodammodo verbo.

PARAPHRASIS. In omnibus rebus adhibenda est ratio, ut non quæ libuerint, & inciderint: sed quæ jusserit honestas; præscripserit virtus; judicârit & q. dimensa sit recta ratio, hæc appetamus atq; agamus.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti: Hoc faciendum est, & rectè fit 1. ab hominibus privatis: Adolescentibus, Viris, Senibus, Studiosis, Illiteratis. In periculo, in voluptate, honore, irâ, conversatione, simulatione ac dissimulatione, in omni genere negotiorum. (Probetur vel saltem declaretur de singulis) 2. ab hominibus publicæ authoritatis, in pace, & bello &c.

II. Partium Prædicati: Est hoc valde laudabile; est viri prudentis; est viri fortis in periculo; temperantis in voluptate, &c; amorem hominum conciliat; ad honores tales homines evehuntur; conciliat divitias, sanitatem &c; est alijs modis Utile.

CONTRARIUM: Excedere modum, vel, deficere à modo, utrumq; est Turpe.

Similia possunt singulis Inductionis partibus peculiaria subjungi: Item Exempla, & Testimonia veterum, vel, Sententię alię: Item quędam Universalia huc inseri.

CONCLUSIO. *Repetantur,*

1. SENTENTIÆ laudes.
2. Plæraque Capita INDUCTIONIS cum Amplificatione.

V.

Apophthegma SOLONIS.

Τέλος ὁρᾶν, *RESPICE FINEM.*

EXORDIUM.

I. Laudes Solonis ex Diog. Laertio.
II. Laudes Philosophorum: Fuit enim talis SOLON.
III. Laudes Legumlatorum.
IV. Laudes Magistratuum, & Popularis status.
V. Laudes Sententiarum SOLONIS.
VI. Laudes Præsentis hujus: Pertinet ad Prudentiam, quæ est q. oculus vitæ humanæ, ut sine ista omnis vita humana quasi cæca & temeraria sit, & nos sæpius offendamus.

PARAPHRASIS. Narretur Occasio, historia de CROESO. Hoc voluit dicere vir sapiens: neq; Divitias istas; aut Honores; & Splendorem regium; aut Reliqua fortunæ bona quenquam beatum facere; neq; istorum bonorum possessionem ita firmam esse, ut certus esse possit vel quisquam hominum, quandiu sit ea possessurus, ante extremum vitæ articulum.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti, vel, Bonorum fortunæ: Homines in his rebus vitæ felicitatem sitam putant: Divitijs; Honore; hominum Favore ac benevolentiâ, si multos habeas Amicos & Clientes. Sed in Divitijs non consistit felicitas: Sunt bonum valdè inconstans, sive mercaturâ sive hæredita-

te, &c. parentur. Non in Honoribus: Et hi inconstantes. Neque in Amicitia & favoribus hominum: Et hi mutabiles. Neque in delicijs & voluptate; Et hæ mutabiles.

II. Partium Prædicati, vel, Modorum, quibus possint eripi bona illa.

1. Per vim.	2. Per dolos.
3. Per fortunam.	4. Per calumniam.
5. Per invidiam.	6. Per fatum.
7. Per nostram vitam turpem.	
8. Per morbum.	9. Per mortem &c.

CONTRARIUM. Fortunæ istis bonis confidere, & non metuere ac providere mutationem fortunæ, est hominis Inconsiderati; & Hunc gravius percellet improvisus fortunæ impetus.

Fiat similis INDUCTIO partium prædicati, quæ hîc insint Incommoda:

1. Est Imprudentiæ.
2. Est Superbiæ.
3. Conciliat Odium hominum ac contemtum.
4. Affert Cladem, & sic magnum dolorem.

Similia, Exempla, Testimonia Veterum singulis Inductionis partibus commoda subnectantur.

CONCLUSIO.

1. Repetantur præcipua Inductionis capita.
2. Concludatur pro laudibus SOLONIS.
3. Fiat adhortatio ad Modestiam in ferendis fortunæ successibus.

VI.

Apophthegma BIANTIS.

Οἱ πλέιονες κακοί, PLURES PRAVI.

EXORDIUM.

I. Laudes BIANTIS. ex Diogene Laërtio.

II. Sententiæ præsentis: Est Querela de statu vitæ præsentis pessimo. De quo utilissimum est conqueri, quia sic diligentiùs cavebimus istorum insidias, ne & ipsi in malorum simus numero, & ab istis inficiamur; tum sic vehementius tenebit alterius cujusdam vitæ desiderium &c.

PARAPHRASIS. Hoc voluit dicere: Magnam hominum, in

socie-

societate & quibuscum vivendum est, partem esse improbos, impietati, sceleribus, perfidiæ & inhumanitati deditos.

INDUCTIO. Et testatur Experientia non multum aberrasse à veritate virum sapientissimum.

I. Partium Subjecti, sive, hominum: sive spectes Ethnicos; sive Christianos; Nostræ aut Peregrinæ Nationis homines; Senes; Viros; Adolescentes; Pueros; Fœminas; Masculos; Divites; Pauperes; Privatos; Magistratus; Doctos; & Rudes; Nobiles; Cives; & Rusticos; &c. Singulis addatur aliquid Notum, quomodo sint mali.

II. Partium Prædicati, sive, Improbitatis.

1. Secundum omnia vitia Universalia: Sunt impij; contemtores Dei, pietatis, parentum; Sunt ignavi homines; aut nimis audaces; Sunt intemperantissimi; Sunt avarissimi plurimi; Alij prodigi; &c.

2. Deinde secundum Vitia Propria singulorum ordinum & ætatum: Pueri contumaces; Adolescentes luxuriosi; Mulieres superbæ; Milites blasphemi; Mercatores periuri; Docti rari; Rustici fallaces; Nobiles prodigi; Germani bibaces; Itali impuri; Nationes aliæ alijs insidiantur, fœdera rumpunt, &c; Turcus ad imperij Rom. ü, imò omnium regnorum occupationem it.

CONTRARIUM. Boni rari.

Fiat INDVCTIO partium prædicati: in pietate, in Fortitudine, Temperantiâ, Liberalitate, &c.

Similia, Exempla, Sententiæ aliæ singulis Inductionis partibus accommoda subnectantur.

EPILOGUS.

1. Repetantur plæraque INDVCTIONIS capita.

2. Colligatur: Igitur non immeritò BIANTIS ista Sententia adamatur; atq; ipse in numerum septem Sapientum relatus est.

3. Adhortatio: Demus operam, ut simus in istis paucis, vel, Bonorum numero exiguo: non malorum multitudine.

VII.

Apophthegma THALETIS.

Ἐγγύα πάρα δ' ἄτη, SPONDE, NOXA PROPE ADEST.

EXORDIUM.

I. Laudes THALETIS.
II. Sententiarum in genere.
III. Sententiæ præsentis: Est utilissima; pertinet ad prudentiam in collocandis beneficijs. Dicatur quantum intersit, ut hæc rectè collocentur.

PARAPHRASIS: Sponsio est, quando fidem nostram pro altero interponimus atq; oppignoramus, & alterius debitum in Nos suscipimus. Et videtur THALES de civili sponsione loqui voluisse, ubi nomina & æs alienum in se recipit Sponsor: Sed non minus tamen etiam in alijs rebus licet pro alio spondere. Consulit igitur THALES, ne temerè, sed difficilimè omnium sponsores existamus: quòd plerumq; damnum subsequatur.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti:
1. Spondere de ære alieno pro peregrino, pro Cognato, pro Juvene, pro Sene, aut Viro, pro Mercatore, Nobili &c. periculosum.
2. Spondere in commendatione de alterius fide, industriâ, est periculosum.

II. Partium Prædicati, vel, Incommodorum consequentium:
1. Est Inutile sæpe: Nihil inde retuleris gratiæ, quoniam putabit amicus, pro quo spospondisti: Sibi uni omne, Tibi nihil operis incumbere.
2. Est damnosum: Decedit rei familiari; Amicum, cui gratificari te putas, offendes pecuniam repetendo; alienabis pudore isto, quo afficietur de debito; addes illi ad ignaviam; detrahis tuis, quod das alieno; &c.
3. Est INIUSTUM.
4. Est IMPRUDENTIÆ.

CONTRARIUM: Non spondere, vel, posse cavere sponsiones, & ne fidem interponas pro alijs, est Prudentiæ; præcaventur multa incommoda.

Fiat INDUCTIO
1. Quot modis possint effugi sponsiones honestè.
2. Quot modis hoc sit commendandum.

Similia, Exempla, Testimonia Veterum singulis Inductionis partibus adjungantur commoda.

CONCLUSIO.

1. Repetantur plæraq; Inductionis capita.

2. Fiat collectio pro THALETE. e. g: Verè igitur fuit vir sapiens THALES, qui ista prævidit, & complexus est tàm brevi sententiâ.

3. Adhortatio: Præcaveant igitur Sponsionem & fideì suæ pro alijs obligationem, qui Prudentes audire, Sibi, Liberis & Rei familiari suæ rectè consulere volunt &c.

VIII.

Symbolum CAROLI V. Imperatoris.

PLUS ULTRA.

EXORDIUM: Opinio est, Herculem, cum orbem terrarum latrocinijs purgasset, in finibus Occidentis vel Hispaniæ, in Gadibus Insulâ duas Columnas erexisse, cum hac inscriptione: Non PLUS ULTRA: vel, quod sentiret, hic limitem terræ esse habitatæ ab istâ quidem parte: vel, quòd victoriarum non suarum tantùm, sed aliorum etiam ex posteritate Principum hunc finem præscriptum vellet.

Inde ajunt CAROLVM V. Imperatorem occasionem sumsisse hujus Symboli usurpandi: PLVS ULTRA: quia Hic ultra Hispaniam in Indiam, & Orbem novum usq; penetravit, ut habet cujusdam Poëtæ distichon:

PLUS ULTRA *Herculeas Calpen Abilamq; columnas,*
CAROLE, *Victoris nobile nomen habes.*

Et Alterius:

Struxit in extremo quas æquoris orbe columnas,
Qui satus Alcmenâ de genitrice fuit:
Has virtute tuâ superasti CAROLE *Cæsar,*
PLUS ULTRA *rebus sorte favente tuis.*

I. Dicantur quædam de CAROLO V. & de Inventione Novi orbis.
II. Considerabimus hanc Sententiam diligentiùs: Etenim etiam plura videtur voluisse Imperator istâ dicere. Ego præibo, si vos attentionem adhibueritis: Quod vos oro etiam atq; etiam.

PARAPHRASIS. Hoc videtur dictum istis verbis: Esse animi nobilis & generosi excellere velle; & de virtutis incremento non cum alijs tantùm, sed secum ipsum contendere.

INDVCTIO.

I. Partium Subjecti: Debemus semper velle proficere; semper discere, horis, annis, ætatibus singulis; Alios præcellere omnes.
1. In Eruditione: in omnibus, quę decent hominem ingenuũ literis &c.
2. In Virtutis studio: in periculis adeundis; in benefaciendo; in gloriæ studio, &c.
3. In Studio rei familiaris.
II. Partium prædicati.
1. Est hoc Naturæ verè nobilis.
2. Est Laudis: valdè amantur ejusmodi ingenia; & prædicantur; honore afficiuntur ab omnibus.
3. Est magnum atq; unicum ad Eruditionem ac Virtutem adjumentum.
4. Tum ad honores, gloriam, rem familiarem &c.

CONTRARIUM: Qui non ducuntur ista cupiditate proficiendi, & alios antecellendi, sunt ignavissima ingenia, & ad nullam frugem perveniunt.

Fiat jtem INDUCTIO.
1. Partium Subjecti: Quidam Eruditionis nullo ducuntur amore, cum tamen literis se dederint; satis habent in imis consistere; aut putant se jam satis profecisse &c.
2. Quidam in fortibus factis, putant se jam satis præstitisse &c.
3. Quidam in beneficijs, aut alia virtute &c.
4. Quidam in studio gloriæ; rei familiaris &c.

INDUCTIO.

I. Partium Prædicati:
1. Est ignaviæ, & naturæ stolidissimæ argumentum.
2. In quibusdam est Φιλαυτία, & præcox sapientia.
3. Aliquando est Invidia, Morositas, studium Ocij, & Voluptatis, turpis Lucri: ac Sordes. Item Prodigalitatis (si rem familiarem negligat.)
4. Odio sunt.
5. Ad nullam dignitatem perveniunt.
6. Contemnuntur publicè.
7. Majoribus sunt dedecori.
8. Dolorem & mærorem perpetuum sibi conciliant; quando accedit seria pænitentia; vident alios sibi præferri &c. quando egent &c.

Similia, Exempla, Sententiæ aliæ intertexantur commoda singulis Inductionis partibus.

EPILOGVS.

1. Repetantur plæraque INDVCTIONIS capita.

2. Colligatur: Digna igitur Sententia est, tantâ sapientiâ & felicitate atque animo heroico CAROLI V. Imperatoris.

3. Adhortatio ad studium profectus & gloriæ.

IX.

MARTIALIS.

Non est, crede mihi, Sapientis dicere: VIVAM.
Sera nimis vita est crastina, VIVE HODIE.

EXORDIUM.

I. *A laudibus MARTIALIS.*

II. *Poëtæ.*

III. à laudibus *sententiarum in genere.*

IV. à laude *præsentis sententiæ.*

PARAPHRASIS. Hoc voluit dicere: Prudentiæ esse, Virtutis & Honestatis studiũ primâ occasione arripere & urgere diligenter; quemadmodum etiam Vitiorum emendationem: Differre enim ista velle certissima pernicies; corruptorum morum & stultitiæ argumentum est.

INDUCTIO.

I. *Partium Subjecti.* e.g:

1. STUDIUM LITERARUM. Hoc iterum potest dividi: Studium linguæ, Oratoriæ, Philosophiæ, Theologiæ, Jurisprudentiæ, Medicinæ.

2. STUDIUM VIRTUTIS. Hoc iterum dividatur: Studium Fortitudinis, Temperantiæ &c.

II. *Partium Prædicati.*

1. Est Prudentiæ vel prudentis hominis, & rectè sibi consulentis.

2. Est Honestum, est Fortis animi.

3. Est Utilissimum ad honores, amores &c.

CONTRARIUM: Non urgere studium sapientiæ aut virtutis; sed vel relinquere; vel differre in tempus aliud atq; aliud est certissima corruptela, & stultitiæ argumentum.

INDUCTIO.

I. *Partium Subjecti.*

II. *Partium Prædicati:*

1. Est Imprudentiæ.
2. Est Turpe, vel inhonestum.
3. Est damnosum, noxium & incommodum.

SIMILIA, EXEMPLA, TESTIMONIA veterum singulis Inductionis partibus commoda subijciantur.

CONCLVSIO. Fiat

1. Repetitio præcipuarum Inductionis partium.
2. Conclusio pro commendatione MARTIALIS & SENTENTIÆ.
3. Adhortatio ad diligentiam.

X.

PROBITAS LAUDATUR ET ALGET.

EXORDIUM.

I. A laudibus Sententiarum.

II. à laudibus *Præsentis Sententiæ:* Pulchrè pingit ob oculos calamitatem virtutis in istis mundi moribus, & stultitiam vulgi, qui ità vili æstimant virtutem, quæ tamen omnium hujus vitæ bonorum præstantissima est, ut dicitur: Auro quid melius, &c.

PARAPHRASIS: Hoc voluit dicere Sententiæ author: Virtutem habere adulatores multos, amicos paucos: vel virtutem ab omnibus quidem prædicari, & fateri omnes virtutis excellentiam, sed paucos sectari virtutem aut dignum ejus cultoribus honorem habere.

INDUCTIO.

I. PARTIUM SUBIECTI. Hoc fit; *Subjectum Virtus.*

1. ERVDITIONI: Literis Philosophicis, Eloquentiæ, Poësi, Theologiæ &c. quę laudantur & algent: Sive: Quilibet fatetur esse earum rerum cognitionem prę stantissimam, sed verbis tantum fatetur, interim quidvis aliud potius sectantur: Deinde nullo honore aut non satis digno prosequuntur Professores istarum disciplinarum. *prædicatū, laudatur & alget.*

2. PRUDENTIÆ, sive, hominibus peritis, qui varia didicerunt: Non commendat hos Peritia, nisi commendet etiam Gratia, & Ambitio, & Familia.

3. RELIQVIS VIRTVTIBVS: Pietati, Fortitudini, Temperantię &c.

II. PARTIVM PRÆDICATI; quod est, ALGENT, i. e. negliguntur:

1. Nemo dat operam; aliud sectantur potius, divitias, otium, voluptates &c.
2. Non habetur honos.
3. Non adhibentur ad officia Viri docti; Bonis præferuntur divites, titulo nobiles, amici & cognati promotorum.
4. Non suppeditantur necessaria alimenta; non decernuntur præmia.
5. Ab omnibus contemnuntur Docti, Boni & Simplices ridentur, decipiuntur &c.

CONTRARIUM: Contrà, Improbitas vituperatur & calet, i. e: verbis quidem & simulatione externâ detestantur homines vitia, sed revera nihil magis sectantur; nihil carius habent; nihil magis observant.

INDUCTIO.

I. PARTIUM SUBJECTI, vel, VITIORUM.

II. PARTIUM PRÆDICATI:

1. Omnes sectantur.
2. Amant & colunt eos, qui his contaminati sunt.
3. Promovent. 4. Juvant. 5. Habent in honore.

Similia, Exempla, Sententiæ, commoda suis Inductionis partibus singula subjiciantur.

CONCLUSIO.

1. Repetat plæraque INDUCTIONIS capita.
2. Detestatio fiat pessimorum istorum morum.

XI.

NEC TUA LAUDABIS STUDIA, AUT ALIENA REPRÆHENDES.

EXORDIUM à laudibus præsentis Sententiæ: Dicta est de Moribus, & quidem istis vulgatis & multi usus: Quomodo sermo sit moderandus, Ubi summa prudentia opus est, ut possit decorum servari, quòd nimis sæpius hic & à plurimis peccetur &c.

PARAPHRASIS: In sermone non facienda Nostri, aut Nostrorum gestorum mentio, aut non nisi modesta sine ulla commendatione; Neq; etiam alij præsentes & Horum facta reprehendenda; neque absentibus obtrectandum: Hoc enim facere hominis est stolidi & pessimi.

INDUCTIO.

I. PARTIUM SUBJECTI: Subjectum est;
1. Faciunt hoc Thrasones, Milites, Imperiti, Mercatores, qui crepant suas divitias, Juvenes, Senes, Mulierculæ, &c. Subijce singulis hujusmodi quid: Turpe est, scilicet prædicatum. 1. Se prædicare.
2. Jtem fit hoc in Ebrietate, in Jra, in Furore, & Jnsaniâ.
3. Jtem prędicant MULTI sua Fortia facta: Alij suam Continentiã &c: Alij suum Genus, &c: Alij divitias: Alij Amorem & benevolentiam hominum: Alij Peregrinationes: Alij Fortunę successum, aut, quantam perpessi sint calamitatem, &c.
4. Jtem faciunt hoc in Convivio: in Rebus serijs; Amicis & quibus notum est; aut Peregrinis &c. Singulis subijciatur, quomodo hoc sit Turpe, idque ex communi vitâ.

Non minus Turpe est Alios Vituperare, quod item faciunt. 2. Alios vituperare.
1. Adolescentes calidi; imperiti &c. 2. Fit jtem hac vel illâ de causâ.
3. Obijciuntur hæc vel illa mala idque non rectè: Vitia non debent obijci alijs, sed à Te caveri, neq; Tu planè cares: Si in alijs vides, non obijcere oportet, sed ad te corrigendum uti. &c.
4. Fit diversis locis, & occasionibus: singulis subijce, quomodo hoc sit turpe, & reprehendendum.

II. PARTIUM prædicati. Jn genere hic monstretur Prædicatio sui, & temeraria aliorum reprehensio, quot modis sit Turpis. Prædicatũ est Turpe.
1. Est Jmprudentiæ. 2. Est Jmpietatis. 3. Est Jgnaviæ.
4. Est contra reliquas Virtutes. 5. Conciliat odiũ & contemtũ hominũ.
6. Non promoventur isti homines ad honores.
7. Jn honore constitutis invidetur tanquam indignis.
8. Nemini prosunt, quippe sibi tantùm solliciti.
9. Multas dant turbas & rixas &c.

CONTRARIUM: Jn sermonibus debemus loqui de rebus potius, quàm de personis: & de personis aliorum quidem honestissimè, & in partem meliorem: de nobis autem rarissimè & modestè.

Subjungantur EXEMPLA, Similia, Sententiæ.

CONCLUSIO.

1. Repetantur pleraq; Jnductionis capita.
2. Concludatur pro laudibus hujus sententiæ.
3. Fiat dehortatio ab immodestia ista sui prędicãdi, alios reprehendendi.
4. Concludatur lepidâ aliquâ narratione.

XII.

IN VITIUM DUCIT CULPÆ FUGA, SI CARET ARTE.

EXORDIUM A laudibus præsentis Sententiæ: Pertinet ad universam vitam. Cujus prudenter instituendæ poterit esse regula & clavus: Tota enim vita nostra, maximè hominis prudenter eam instituentis, quid aliud est, nisi perpetuum exercitium vitij declinandi, & attingendæ virtutis? &c.

PARAPHRASIS: Consulit hæc sententia, ut culpam vel vitia fugiamus & evitemus non sine arte, i. e. singulari prudentia, ne ista fugâ abducamur ad vitium: Jta enim fit, ut vitia non tantum virtuti inimica sint, sed etiam inter se alia alijs adversentur: Jtaq; sic fugienda sunt vitia, ne in contraria incidamus. Valdè hoc Necessarium est præceptum, &c.

INDUCTIO.

Subjectum hic est tota propositio: Prædicatũ Modus.

I. ***Partium Subjecti:***

Fit hoc, ut fugâ vitij nimiâ incidamus in contrarium, IN STUDIIS: Omnes hoc studiosè vitant, ne nimis magnam his dent operam, & hoc quidem rectè: sed dum minus prudenter hoc fugiunt, in alterum incidunt vitium, scilicet ut nimis exiguam operam impendant. Videmus hæc in vitâ quotidianâ: Quis enim nunc ferè dat operam satis diligentem bonis literis ex ijs, qui huic generi se devoverunt? &c. ET hoc declaretur per partes: Fugiunt vigilias, sed imprudenter; dant se somno nimis. Fugiunt multitudinẽ lectionum; audiunt nullas; fugiunt tenuitatem eruditionis, vellent in pluribus esse eruditi, omnibus incumbunt, vel nimis multis &c.

Idem fit IN PERICULIS: hoc norunt timidi, qui se credit periculo, peribit in eo: Hoc dum fugiunt imprudenter, etiam cum turpitudine subterfugiunt honesta pericula.

IN VOLUPTATE meminerunt illud: Naturam non posse carere voluptate, aliàs fore ut deficiat: Sed hoc dum fugiunt nimium, ne naturæ detrahant, dant se turpiter voluptati &c.

Jdem fit *in honoribus: in studio pecuniæ: in Studio suavium morum, iræ moderandæ aut concipiendæ: Jtem adjungendis sibi ad amicitiam animis, &c. in gestibus &c.*

II. ***Partium prædicati***, quod est *Turpè*. Monstretur quot modis hoc possit reprehendi. 1. Est stulticia.

2. Est superbi hominis, simulantis virtutis studium, cum non tàm declinet vitia, quàm vitiorum de se opinionem &c.

CONTRARIUM: Prudentia adhibenda est in declinandis vitijs: Discendus modus à viris prudentibus, ex libris & scriptis Philosophorum, Oratorum, Historicorum, Poëtarum, ex pulchris hujusmodi Sententijs.

Similia, Exempla, sententiæ aliæ singulis Inductionis partibus commoda subjungantur.

CONCLUSIO.

1. Fiat Repetitio plerorumq; Inductionis capitum.
2. Conclusio pro laudibus hujus Sententiæ.
3. Adhortatio ad prudentiam comparandam, quæ verè est oculus totius vitæ &c.

XIII.

SPEM PRECIO NON EMO.

EXORDIUM.

I. A commendatione Sententiarum: Propter brevitatem Pulchrę; propter compræhensas res Graves; propter salem, quem plæræq; habent admistæ, vel verborum leporem, Jucundæ.

II. A laudibus Præsentis Sententiæ, ut Præsens ista & Brevis, & per verborum colorem Lepida, & propter sensus gravitatem Prudentissima est.

PARAPHRASIS: Sensus hic est: Non esse res quasq; charissimas & maximas impendendas, aut negligendas etiam, prę objectâ alicunde spe etiam magnificâ, sed incertâ. Vel: In sperando & inhiando bonis magnis modum ponere esse hominis prudentis.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti;

1. Faciunt hoc potissimum Iuvenes, ut nimis magnifica sperent, maximè scilicet creduli propter ruditatem, tum animos quos gerunt magnos, quibus quàm magnificentissima de se sperant: Nemo est, quin speret, se posse vel ad summos quosq; Honorum gradus, & reliqua dona quęlibet pręstantissima, Eruditionem, Divitias &c. evadere.

Exempla, Similia, Sententias subjunge.

Item facilè possunt pollicitationibus ad quælibet adduci: Nimis enim confidunt; ac spem sibi faciunt nimiam de promittentium fide; tum

ſperant, ſi quid magnum aggrediuntur, facilè ſe effecturos; ſi quid turpè, ſe habituros impunè &c. Exempla, Similia, Sententiæ.
2. Neq; tamen tantùm Juvenes, in ſpe nimis magnificâ peccant, ſed etiam Viri, imò ſenes etiam eandem delirant temeritatem.
3. MERCATOR quas non facit ſibi ſpes lucrandi apud Indos, Hiſpanos, Muſcovitas, Turcos ipſos? quàm varias ſæpè? 4. Miles &c. 5. Pauper. 6. Dives &c. Singulis ſubjungantur Similia, Exempla, Sententiæ.
II. Partium Prædicati, quàm variè ſæpè hoc faciunt; & quanto precio emunt hanc ſpem; aggrediuntur moleſtias, dolorem, pericula, mari & terrâ; conciliant ſibi morbos, pœnas, & ſupplicia, inimicitias, odia ſuorū & omnium, infamiam, turpitudinem morum; fiunt riſui omnibus; affi-ciuntur, re non ſuccedente, pudore; impendunt fortunas ſuas; faciunt ja-cturam eruditionis, honeſtatis; fiunt ignavi, potiſſimum Juvenes ex iſtâ ſpe; fiunt arrogantes & ſuperbi &c.; falluntur ab iſtis miſerè, quibus cre-diderunt, à fortunâ &c.

Adjungantur Similia, Exempla, Sententiæ.

CONTRARIUM: Providi ſimus in ſperando; quæ in præſen-tiâ adſunt, ea curemus; & res noſtras omni diligentiâ quidem promovere ſatagamus, ſed jtà tamen, ne quid ſupra vires noſtras attentemus aut ſpere-mus, quorſum poſtea fruſtrà operæ noſtrę impendantur, & ſic ſpes precio, i. e. nugæ ac ventus auro ac gemmis ematur à nobis. Pręterea non quibus-libet promiſſis temerè fidem adhibeamus: fit enim propter plurimorum calliditatem, ut rariſſima avis ſit homo fidem ſervans.

Similia, Exempla, Sententiæ.

CONCLVSIO. Concludatur pro laudibus hujus Sententiæ.

XIIII.

Diffugiunt cadis
Cum fece ſiccatis Amici,
Ferre jugum pariter doloſi.

EXORDIVM.

I. A laudibus Sententiarum.
II. A laudibus *præſentis Sententiæ:* Multa invenias hujuſmodi dicta in amicorum inconſtantiam: Itaq; videtur præcipua pars prudentiæ eſſe,

eam cognitam habere, quippe cum toties inculcetur, neq; ullus magis lepidè extulit, quàm isti versus: Qui & ob oculos pingunt Industriam in exhauriendis trullis, ut ne quidem fecem relinquant, i. e. in absumendis bonis tuis se satis prębent strenuos; & Perfidiam imprudentissimam, dum, fortunâ te deserente, non isti clanculum & paulatim discedunt; sed diffugiunt quasi Euripo aliquo abrepti; dolosè eâ in re agentes, quòd non, ut res secundas communes tecum habuerunt, ita etiam calamitatum jugum pariter ferre volunt.

PARAPHRASIS. Igitur hoc voluit sententiæ Author: Plerosq; amicitias sectari, non quòd quicquam ament, nisi lucrum & rem voluptuariam, quæ ex amico captant: Quibus dum possunt frui, indivisi adhærent comites; & depascunt imprudenter in istos bona sua profundentem: Quæ cum absumta fuerint, Illi primi nunciùm amicitiæ remittunt, quia vinculum, scilicet lucrum suum, ademtum putant: Nec ab Istis quicquam minus, quàm quòd infortunij & calamitatis aliquâ parte te levaturi sint, expectare poteris, &c.

INDUCTIO.

I. Partium Subjecti: Hujusmodi amici sunt, *Subjectum.* Amici propter lucrũ &c.

1. Quos sibi adjungunt temerè Adolescentes. His adjungunt se aleatores, decoctores suæ rei familiaris, exhæredati, funambulones, tibicines, fidicines, saltatores, ociatores, &c: lenones, cauponarij, fæneratores, institores &c.

Dicatur de Singulis: quomodo & quibus captent amicitiam Adolescentum &c: Item: quid promittant; quanta videatur ista esse amicitia, &c; Et addatur Singulis Prædicatum: Sed citò sunt diffugituri.

2. Hujusmodi amicos sibi adjungunt, qui magnam acceperunt hæreditatem, aut aliàs sunt in re lautâ ac benè auctâ, maximè si non sint sordidi.

3. Item Principes ac Magistratus, in quorum potestate est aliorum promotio: Hos quilibet amat, salutat, comitatur, mulcet, &c.

4. Item, qui magnis utuntur fortunæ successibus.

II. Partium prædicati.

1. Desererent te pauperem, desperantem de rebus tuis, pænitentem de vitâ malè actâ: Non conversabuntur; non salutabunt; non amicè appellabunt. 2. Non juvabunt consilio aut operâ mutuâ. *Prædicatũ est. 1. Diffugiunt.*

3. Erunt hostes: prodent consilia; ridebunt infortunia; convitiabuntur; aut calumniabuntur clam.

2. *Turpe est.*

Quot modis hoc in Istis hominibus reprehendendum:

1. Est malitiosissimæ Naturæ. 2. Est contra liberalitatem.
3. Est contra Humanitatem. 4. Amicitiæ jus.

3. *Miserum est.*

Et qui hanc sentit inconstantiam multis modis miserrimus est:

1. Imprudens, qui istis temerè confidit. 2. Dolorem inde sentit.
3. Sua Seq; perdit. 4. Produntur isti consilia.

CONTRARIVM. In amicitiâ ineundâ videndum: Cui Te, Animum, Consilia credas, Est enim amicus alter ipse. Similia, Exempla, Sententiæ singulis Inductionis partibus commoda subjungantur.

CONCLUSIO. Hæc igitur complexa est Sapientissima sententia: *Diffugiunt cadis* &c. Repetantur plæraq; Inductionis capita.

XV.

Æquam memento rebus in arduis
Servare mentem: non secus in bonis
Ab insolenti temperatam
Lætitiâ moriture.

EXORDIVM.

1. à laudibus Sententiarum, si versibus sint inclusæ.
2. A laudibus præsentis sententiæ: Duæ magnæ sunt quasi vitæ nostræ tempestates: Fortuna adversa; & Fortuna nimis amica: quibus valdè jactatur & concutitur animus noster, ut prudentissimi & maximè industrij cujusq; hominis mens evadere non possit quin fluctibus fracta vitium aliquod faciat; rimas agat; & mare admittat; vel: quin in vitia prolabatur. Itaq; diligenter ista sententia cogitanda & memori mente reponenda est, ut eò cautius agamus &c.

PARAPHRASIS. Repete, & interpetrare verba. Adde sensum hunc: In utraq; Fortunâ, Adversâ & Secundâ, servanda est constantia quædam vitæ & morum; ut in Illâ non nimium doleas; & præ doloris impatientiâ turpitudinis aliquid admittas: In hac autem non nimium gaudeas; indeq; in superbiam, & alios turpes mores degeneres.

INDUCTIO.

Subjectum est; Homines in fortuna bona.

I. Partium Subjecti. Enumeretur, quot modis Bona fortuna contingat, aut Mala: Alijs contingit, ut sint ex Nobili Genere nati; Alijs, ut sint Divites ex hæreditate, aut mercaturâ, aut successu quodam insigni; Alijs, ut

sint

sint Pulchri; Alijs, ut ascendant ad magnos Honores; Alijs, ut sint in Gratiâ Principis; in Amore vulgi; in existimatione aliquâ; in opinione Eruditionis, &c. Subijce singulis: Et hinc efferuntur; abutuntur istis bonis: Quod non oportebat fieri, &c. *aut mala constituti.*

Sic enumerentur modi, quibus contingat Mala fortuna: Alij sunt nati ex parentib9 pauperculis; ipsi item sunt tales; aut fiunt tales per quandam calamitatem; In nullo sunt honore; fit quędam contumelia innocentibus. Alij præferuntur Indigniores; Laborant morbo; sunt deformes; in odio; laborant publicâ infamiâ, & innocentes quidem &c.

Subijce singulis: Et valdè molles plæriq; se præbent; querulantur; abijciunt animum: Quod non debebat fieri &c.

II. Partium Prædicati: In fortunâ bonâ plæriq;, *Prædicatũ est.*

1. Superbi fiunt; sunt contemtores; fastuoso incessu, sermone, vestitu; videntur sibi præ reliquis sapientes; honesti; ac virtute prædití; digni honore atq; authoritate; eruditi; urbani; omnium rerum optimi censores atq; arbitri; &c. 2. Prodigi; Efferũtur: Abijciunt animum: Et utrũq; est turpe.

3. Securi; & imprudentes; & audaces; & morosi; & nimis dicaces; & intemperantes; &c. Et hoc multis modis est Turpe; Dolendum &c.

In fortunâ adversâ plæriq; nimis dolent; pallent; suspirant ac gemunt perpetuò; semper conqueruntur, omnibus obvijs molesti sunt suis querelis, querulantur, lachrymantur, ululant; quibuslibet dicunt convicia; conqueruntur de amicorum perfidiâ &c; etiam in Deum sunt injurij &c. Quod est multis modis repræhendendum &c.

CONTRARIVM. Igitur in his modum servare est hominis prudentis.

Similia, Exempla, Sententię singulis partibus commoda subjungantur.

CONCLVSIO. Ista omnia comprę hendit hęc sententia sanè quam prudentissima. *Æquam memento* &c. Repetantur plæraq; Inductionis capita.

XVI.

QVID QVISQVE VITET, NVNQVAM homini satis cautum est in horas.

EXORDIVM à laudibus præsentis sententiæ, quâ monemur perpetuos metuere fortunæ casus, in horas scilicet singulas: Quod valdè necessarium est &c.

PARAPHRASIS. Repetatur Sententia; Explicentur verba sin-

gula; Adijciatur sensus hic: Nemo tutus est ab infortunio ne horam quidem: nec quisquam jta debet securus vivere, quin singulis momentis metuat vel mortem, vel morbum, vel aliam similem calamitatem impendere sibi.

INDUCTIO.

Subjectum Omniũ ordinum homines, & omnibus temporib9

I. Partium Subjecti.

1. Infantes recens nati quasi ipsâ nativitate hanc calamitatem accersunt sibi, jtem non sunt immunes ab omnis generis infortunijs, imò his eò magis obnoxij, quò minus possunt vel prudentiâ, vel etiam sensuum judicio ut feræ quædam declinare.
2. Juvenes, Viri, Senes, Eruditi, Plebei, Privati, Rustici, Nobiles, Principes: Inter amicos, inter hostes, in rebus serijs, in jocis, in mediâ hilaritate.

Singulis adde Genus hoc, prædicatum scilicet, quòd impendeant istis varia genera calamitatum & infortunij.

Prædicatũ est. metuere haber vari as calamitates, & fortunæ mutationẽ eamq; subi taneam.

II. Partium Prædicati: Enumerentur quæ possint hominibus accidere infortunia:

1. Jactura rei familiaris, & hæc variè: Enumerentur & hi modi.
2. Jactura honoris & existimationis, & hoc variè.
3. Jactura amici, & hoc variè.
4. Valetudinis jactura.
5. Vitæ jactura, vel mors, &c.
6. Infanti quæ possint accidere.
7. Quæ Viro.
8. Quæ Seni metuenda sint.
9. Quæ eruditis, Et sic Reliquis &c.

CONTRARIUM: Insperata bona evenire rarissimum est: Et quæ possidemus bona, illa inconstantissima sunt.

SIMILIA, EXEMPLA, SENTENTIÆ, singulis Inductionis partibus commoda subjungantur: Nisi si quæ habes UNIVERSALIA, quæ toti sententiæ possunt accommodari: Ea huic conveniunt loco.

CONCLUSIO.

I. Repetantur plæraq; Inductionis capita.
II. Concludatur pro laudibus hujus Sententiæ.
III. Fiat dehortatio ab istâ securitate, quâ videmus universum ferè mundum laborare, ut quasi perpetuo supervicturi sint, & à nulla metuere habeant calamitate; perpetuo luxui imò impietati, & sceleribus dediti sunt homines &c.

XVII.

QVANTO SUPERIORES SVMVS, TANTÒ submiſſius nos geramus.

EXORDIUM.

I. Dicantur laudes CICERONIS.
II. Laudes ROMANORUM, è quorum numero fuit Cicero, quàm illi & armis & eruditione floruerint, ſed maximè inter ipſos præclarus fuerit Cicero.
III. Laudes ELOQVENTIÆ, vel, Oratoriæ, quoniam CICERO fuit Orator præſtantiſſimus.
IV. Laudes prudentiæ politicæ, ſive, Philoſophiæ practicę, cui totum ſe dedit CICERO ſenectâ ætate, & à quâ Philoſophia fluxit iſte Officiorum liber, vel iſti libri potius.
V. Laudes LIBRI hujus.
VI. Laudes SENTENTIARUM breviuſcularum hujuſmodi in Genere.
VII. Laudes PRÆSENTIS hujus ſententiæ ſaltem promittendo; exempli gratiâ: Cognoſcetis, utiliſſimam eſſe: vix mihi creditis, quàm illa ſit digniſſima cognitu: polliceor, ſi mihi operam hanc in auſcultando dederitis, effecturum, ne temerè eam utilitatem, jucunditatem, neceſſitatem, dignitatem, ſuavitatem &c. jactitaſſe videar &c.

PROPOSITIO.

I. Ponatur SENTENTIA, & paraphraſi longiuſculâ declaretur.
II. Fiat probatio per inductionem: ENUMERETVR,
1. Quot modis alij alijs ſuperiores ſint, e. g: honoribus, divitijs, nobilitate, ingenio, eruditione, virtute, ætate, amicitiâ, gratiâ Principis, ſucceſſu fortunæ &c. Et ſingulæ hæ partes tractentur ſuis periodis: Et addatur ſingulis hujuſmodi quid, e. g: Qui majoribus honoribus fruuntur, ſi propter hos non efferant ſe, ſed gerant modeſtos, magnę datur laudi, ab omnibus amantur &c.
2. Quot modis poſſit ac debeat aliquis ſe humilem gerere, e.g. Non contemnere alios; non magnificè de ſe ſentire; non irridere alios; non verbis lædere, non vultu, non factis; non præferre ſe alijs; non arrogare ſibi temerè aliquid præ alijs laudis, honoris, bonorum aliorum; non nimis ſuperbè opinari atq; admirari ſuam virtutem, eruditionem, divitias &c. ſed ſecum extenuare, credere quòd proprium ſit virtutis, Modeſtum eſſe: quod plurimi nobis ſint pares, plurimi ſuperiores &c.

3. Quot modis ea Modestia commendari possit: Quot modis sit honesta, utilis, jucunda, necessaria, &c.

III. Concipiatur SENTENTIA contraria contrariè, exempli gratiâ: At si quis superbus sit, etiamsi magnis fruatur honoribus; sit vir doctus &c. Superbia ista, hęc bona turpissimâ maculâ afficit. Hic iterum fiat INductio.

IV. Adducantur SIMILITVDINES ad principalem sententiam, & Inductionis partes quascunque; Item ad contrariam sententiam; & ad partes Inductionis, ad hanc pertinentis.

V. Inquirantur EXEMPLA ficta & vera, quæ item distinctè possunt quæri: ALIA pertinentia ad contrariam sententiam; Alia ad hujus Inductionem.

VI. Inquirantur variæ SENTENTIÆ ALIÆ, idq; secundum hanc eandem differentiam. Universalis erit ista:

Si tibi copia,
Si Sapientia,
Formaq; detur:
Sola Superbia
Destruit omnia,
Si comitetur.

PERORATIO. Repetantur plæraq;: Fiat adhortatio ad Modestiam.

CONFUTATIONES ET CONFIRMATIONES.

I.

AN LVCRETIA SIBI RECTE manus attulerit.

ORATIONES DVÆ OPPOSITÆ.

EXORDIUM.

I. AB INDICATIONE. Narretur historia ex LIVIO lib. I.

II. à COMMENDATIONE REI. Plurimi non probant hoc LUCRETIÆ factum. Quod ajunt, homicidia nullo modo, & sic neq; αὐτοχειρίαν suijpsius cædem, approbanda esse. Sed tamen exercitij causâ aliqua ejus facti institui potest defensio.

III. à

III. à SUMMÂ. Itaq; eam in nos suscepimus controversiam: Et mihi Lucretiæ defensionem suscipere placuit: Alius post me factum Lucretiæ reprehendet.

IV. à PETITIONE BENEVOLENTIÆ. Audietis quædam non indigna hoc conventu & ingrata, ut speramus, vestris auribus. Vos facite, ut benevolâ attentione nostrum studium adjuvetis.

PROBATIONES sumantur ex his locis.

I. *Verisimili.*

Omnium est ista constantissima opinio, quod Lucretiæ factum hoc sit summis efferendum laudibus.

1. VULGI, qui passim cantant, narrant, sculpunt, pingunt, fingunt.
2. ORATORUM, Poëtarum, Historicorum, qui prædicant.
3. THEOLOGORUM, & Doctorum, qui passim in Cathedra, in Scholis, in Foro, in Templo, tanquam insigne exemplum, & tot jam seculis prædicant.

II. *A consequentia facti.*

1. Ipsa vixerat hactenus honestissimè.
2. Majores clarissimi. *A persona.*
3. Maritus ex illustri familiâ & optimè meritus de Rep. patriâ.
4. Romæ vivebat, ubi multa similia facinora & facta, & fieri debebant non nisi maxima, & admiratione digna. *à Loco.*

Igitur tantum dedecus non debuit nisi iniquissimo animo ferre. Femina non poterat aliter ulcisci se nisi morte suâ: Et CAUSAS habebat, *à Causa.*

1. Testari pudicitiam.
2. Ne esset alijs exemplo impunitatis.
3. Et TEMPUS erat, quando omnia erant TARQUINORUM tyrannide oppressa, non habebat locum, JUS ET FAS: Fortè iste TARQUINIUS, quæ fuit hominis insania, ultrò accusasset, quasi invitatus ab ipsa esset; rapuisset ad supplicium, &c. *à Tempore.*

III. *A Decoro.*

Monstretur, quæ huic facto insint virtutes:

1. Quanta PIETAS: Quod metu Dei quem noverat esse impudicitię ultorem, tantam abominata est impuritatem; Quod credidit Deum ultorem fore mortis suæ.

2. Quanta FORTITUDO supra istius sexus vires.
3. Quanta TEMPERANTIA, vel Castitatis amor.
4. Quantus PATRIÆ AMOR: Quam cum non posset videre tantâ tyrannide oppressam, vitam profudit.

IV. Ab Utili.

Fuit INJUCUNDUM & DIFFICILE: sed eò magis prędicandum, & præsertim in fæmina. Fuit UTILE
1. PATRIÆ: Quæ sic liberata est è servitute.
2. IPSI: Quę sic non tantum infamiæ suspicionem & adulterij maculam eluit: sed æternitati Nominis & Facti sui celebrationem consecravit &c.

Tractentur hæc argumenta, ut præscripta est ratio in commentatione.

EPILOGUS, Fiat Apostrophe ad LUCRETIAM: In hac commemorentur præcipua Probationis capita; & moveatur Misericordia erga LUCRETIAM.

II.

RESPONDETUR ORATIONI SUPERIORI.

EXORDIUM.

I. à REPRÆHENSIONE causæ; Miror istius defensionem susceptam ab adversario, scilicet manifesti homicidij.
II. à COMMENDATIONE præsentis orationis: Sed valdè bellos colores veri similitudinis allevit. Quare operę precium fuerit fucum istum detegere: Nec difficile hoc erit. Quid enim mihi faciliùs probare, quàm homicidia non esse commendanda?
III. Petatur audientia.

CONFIRMATIO SENTENTIÆ PROPRIÆ.

1. Est homicidium; & sic contra Leges divinas & humanas.

CONFUTATIO SENTENTIÆ ADVERSARII.

Contra argumentum Primum.

OMNES sentiunt) ab Instantia: Docti omnes dissentiunt.
VULGUS laudat) Antisyllogismus: Vulgus stultum, imperitum: Loquendum cum multis, i. e. multitudinis quidem verbis est utendum: sentiendum cum paucis i. e. doctis & bonis viris.
ORATORES, Poëtæ &c.) Antisyllogismus, ab obscuro: Cur non nominantur? 2. Poëtæ multa mentiuntur.

ORATORES in multis se accommodant ad vulgi opiniones; non possunt semper loqui ex sententia, quę est quædam servitus & miseries hujus ordinis; Jtem non commendant cædem, sed pudicitiam.

DE THEOLOGIS & DOCTORIBUS prætereatur. Hoc enim licet, si quæ sint odiosa, illa oblivione obterere.

Ad Secundum argumentum.

1. Fiant Antisyllogismi.
2. Ex circumstantijs Collige, non decuisse.
3. Potissimum illas circumstantias, quas Adversarius allegavit, interpretare in partem contrariam.

Ad Tertium Argumentum.

1. DE pietate ridiculum: Honor quidem ab ipsâ spectatus fuit, non Pietas, quippe Ethnica.
2. FORTITUDO qualis ista? non posse sustinere dolorem istum de injuriâ illatâ, & hujus doloris declinandi causâ mortem oppetere?
3. De CASTITATE concede: sed hoc non quæritur, num fuerit casta: sed num se rectè interfecerit.
4. De AMORE patriæ non satis signi hoc est: poterat aliter amorem istum testari.

Ad argumentum Quartum.

FUIT INJUCUNDUM) non omnia, quæ difficilimè adeuntur, commendant factum.

FUIT utile) Non Eventus semper imputandus facto antegresso: Liberatio ista à Deo contigit propter scelera TARQUINIORUM punienda.

FUIT utile ipsi.) Et aliter potuisset testari Innocentiam: Nunc orbavit conjugem uxore, liberos parente &c.

EPILOGUS.

1. DIGREDIATUR in Locum communem de Pudicitiâ, quę maximè sit commendanda: Et hinc verè posse prædicari LUCRETIAM, quæ meritò multis nostris hominibus debeat pudorem incutere &c.
2. Fiat Repetitio argumenti confirmationis: Tamen non est cædes Lucretiæ commendanda quia &c.

III.

DISPVTATUR SUPER FACTO CHVSÆI ARACHITÆ.

EXORDIVM.

1. Ab Indicatione. Narretur res gesta ex 2. Reg. c. 15. v. 32. c. 16. v. 16. c. 17. v. 8. & v. 15.

2. Attentionis causâ: Res mira, sive fidem spectes CHVSÆI, sive fortunas DAVIDIS, sive eventum; tum si factum ipsum cogites. Quod omnes quidem concedunt esse exemplum fidei singularis erga DAVIDEM, sed quidam tamen multa in eo repræhendenda censent.

3. Summa. Cognoscetis ex hac & alterâ præsenti oratione; Et mihi quidem eas partes sumsi, ut quæ in hoc facto repræhendi possent, Ego excogitarem: Alter post Me defendet.

4. Petatur benevolentia: Vos facite, æqui bonique in cognoscendo Judices ut sitis &c.

Argumentum I.

Τὸ ἀπίθανον.

Opiniones hæ sunt Loci communes, qui bus adjungantur Minor & conclusio. Tractationem harum sententiarũ vide in commentario.

Fecit Arachites CHUSÆVS contra sententiam istam optimam, omnium consensu approbatam: Fides data servanda est, etiam hosti.

Jtem contra Sententiam Pop. Romani, Ethnicorum hominum, qui semper judicârunt: Virtute se malle ac fortiter agendo, quàm dolis, vincere. Jta judicarunt, &c. Allegentur historiæ.

Jtem contra Sententiam MARCI ATTILII REGVLI, qui malebat juramentum, quo Deos fidei exolvendæ testes ac vindices invocarat, servare, quàm patriæ suæ se non civem tantum bonum, sed ducem atq; Imperatorem optimum &c.

Si quod aliud nosti factum aut dictum contrarium laudabile, huc appone.

Argumentum II.

Τὸ ἀνακόλουθον.

CHVSÆVS Fecit: DAVID consilium dedit. Utramq; personam dedecet factum.

CHVSÆVS 1. Fuit amicus vel consiliarius Davidis fidelissimus: Consiliarij autem debent honestorum factorum, non perfidiæ & perjurij

esse

esse administri. Dicatur de officio consiliarij: Et quod hoc factum sit perjurium, fefellit enim fidem Absalomo datam.
2. Fuit Arachites, i. e. chananæus, Ethnicus: Jtaq; fortaßis susq; deq; habuit pejerare.

DAVID. 1. Ex pijs parentibus; à puero in pietate educatus; naturæ atq; indolis optimæ imprimis ad pietatem propensæ; morum præclarißimorum atq; optimorum; Rex prudentißimus, fortißimus, felicißimus; qui tanta aliàs ediderat prudentiæ suæ, pietatis, justitiæ & candoris monumenta; qui tàm insignibus beneficijs à Deo erat affectus; tantoperè amabatur &c. Sed tamen ea est infirmitas nostra hominum, ut in multis labamur.
2. Admisit aliàs multa ex errore; ut factum cum URIA & uxore; & quando curavit populum numerari &c.
3. Pater erat Absolomi: Ergò non debebat sic ex insidijs agere &c.

Argumentum III.

τὸ ἀπρεπές.

1. Est contra verbum DEI vel Theologiam, fallere; mentiri; & quidem nomine Dei ad eam rem abuti: nempe contra 2. & 8. præceptum. Abusus autem est nomine Domini CHVSÆVS 2. Reg. c. 16. v. 18.
2. Est contra Pietatem.
3. Est contra Magnanimitatem, quia Simulator metuit, ideo agit ex insidijs: Magnanimus autem omnia agit apertè.
4. Est contra Candorem &c.

Argumentum IV.

τὸ ἀσύμφορον.

1. Fuit quidem Utile, sed ab eventibus non sunt æstimanda facta.
2. Poterat alijs honestioribus medijs vincere, Deo suo confisus.
3. Quantum periculum, si patefacti fuissent doli?

PERORATIO.

1. Fiat Repetitio plærorumq; capitum.
2. Excitandæ misericordiæ causâ dicatur quanta sit infirmitas humani generis in errando.

IV.

DEFENSIO CHVSÆI ET DAVIDIS.

EXORDIUM.

1. Benevolentia ab Adverſario: Malorum morum eſt acutè cernere, aut animadvertere nævos in aliorum vitâ, moribus, geſtis, prę ſertim aliàs prę clariſsimis. Omnium autem minimè hoc ferendum eſt, ſi fiat in vitâ Heroum illorum & virorum ſanctiſsimorum, quam S. literę omni hominum poſteritati exhibent, tanquam ſpeculum præſtantiſsimum virtutum, quas mirari magis liceat, quàm imitari &c.

2. A re: Perſpicuæ eſt veritatis; facilè defendam.

3. Petitio benevolentiæ & attentionis.

Argumentum I.

τὸ ἀσαφές.

1. Non dixit adverſarius: utrum accuſaret perjurij DAVIDEM, an Arachiten, neutrum enim commodè poterat.

Argumentum II.

Τὸ πιθανόν.

1. Dolus an virtus quis in hoſte requirat? dixit Poëta. Et quidem apud Poëtam prudentiſſimum: Vir famâ ingens, ingentior armis Æneas.

Et

Quo non præſtantior alter
Nec pietate fuit nec bello major & armis.

Quanquam non ſuis verbis.

2. Communis opinio eſt, contra hoſtem publicum non ſolum vi; ſed etiam arte ac prudentiâ veniendum eſſe.

3. Stratagematum uſus quis alius eſt? & hic à quo non commendatus?

Argumentum III.

Τὸ ἀνακόλουθον.

CHVSÆVS fuit,

1. Conſiliarius Davidis prudentiſsimi Regis; & vir prudentiſsimus ac pius: Igitur rectiſsimè judicare potuit; à ſcelere, perjurio, ſi tale fuiſſet factum hoc, abſtinuiſſet certè. Fuit fidelis: Igitur fuiſſet Regem ſuum dehortatus ab impio aliquo facinore; non fuiſſet obſecutus.

2. Fuit Ethnicus, ſed converſus, quales habuit multos in ſuâ aulâ David, & quidem in heroibus ſuis V. 2. 2. Reg. c. 23.

DAVIDIS parentes, educatio, naturæ, mores, habitus Intellectuales &c. dicunt teſtimonium pro DAVIDE.

SOLVTIO ARGVMENTORUM ADVERSARII.

Argumenti I.

1. Fides data hosti servanda est)

De Solenni juramento intelligo: Aliàs fallere licet hostem variâ simulatione & dissimulatione. Ut ictum in dexteram intendens hosti licet in sinistram infligere; & cum exercitu fugam simulare; aut aliud quid. Jta ergo & verbis mentem occultare, consilijs nocere, semper fuit habitum summæ prudentiæ. CHVSÆVS non dedit fidem Absolomo, aliàs non fefellisset; sed simulavit saltem benevolentiam. Et satis habuit ABSOLON excæcatus à Domino, quòd se accessisset CHVSÆVS, quò minùs exploraret.

2. Vir bonus &c.) callidâ & quæ fit absq; virtute: Aliàs multa oportet simulare in vita potissimum erga hostem publicum, ubi magis arte ac dolis quàm Marte atq; armis certatur. Hic igitur contra dolo utentem dolo venire licet.

3. Sententia Pop. Rom. Et

4. Marci Reg.) Dissimilia sunt exempla. Illîc intervenit juramentum; erant solennes promissiones &c.

Ad argumentum II. responsum est in argumento Nostro Tertio: Nisi ad illud.

2. Amisit &c.) 1. Dissimilitudo: Reliqua vitia notavit & punijt Deus, hoc ne dixit quidē turpe esse. 2. Non propterea omnia gesta Davidis sunt culpanda: Sic posset etiam victoria à GIGANTE obtenta, & regnum occupatum, & alia probri loco obijci.

3. Pater erat.) At num non rectè contra hunc armis uti poterat? cur non ergò etiam prudentibus consilijs quippe non filium, sed latronem, parricidam, regni eversorem &c? Responde Ipse ad reliqua.

PERORATIO.

1. Repetantur plæraq; probationis capita.
2. Moveatur misericordia erga DAVIDEM, tàm indigna passum à filio, nunc etiam patientiam à sapientulorum istorum cavillationibus.

V.
DE EXPEDITIONE GRÆCORVM in regnum PRIAMI.

EXORDIVM ab Indicatione. Narrat Herodotus lib. 2. vel in Euterpe;

terpe; audiſſe ſe ex Ægyptijs Sacerdotibus cum dicerent, quod ſcribant Græcorum Poëtæ de PARIDE, quod ſecum abduxerit HELENAM domum, & toto obſidionis tempore nempe decennio detinuerit, uſque dum Trojâ urbe potiti Græci etiam HELENA ſuâ potirentur: Hoc omne fictũ eſſe. Conſtare enim ſibi de raptu quidem HELENÆ, & hactenus iſtos vera dicere: Sed PARIDEM cùm à Sparta navigaret vi tempeſtatis appulſum eſſe ad littus Ægyptiacum. Præerat eâ ætate regno Ægypti PROTEUS, qui indignatus graviſſimè, factum injuſtiſſimum PARIDIS, ſc. jus hoſpitij læſum; abductam alienam conjugem; præterea etiam theſauros MENELAI; nihil tamen ſeveriùs in PARIDEM ſtatuere voluit, niſi quod imperavit, ut intra triduum è terrâ ſuâ diſcederet, ſe uxorem & reliqua Græco hoſpiti reſervaturum dixit. Et ſervaſſe quidem bonâ fide. Græcos autem, cum idem reſponſi accepiſſent à PRIAMO & TROJANIS, non tamen adhibuiſſe fidem, uſq; dum Trojâ expugnatâ nuſquam appareret HELENA. Hic repetiviſſe Græcos eam à PROTEO. Et teſtatur Herodotus etiam ſibi veriſimilem viſam hanc ſententiam: Tamen cum Græcis poetis univerſis idem ſcripſerunt etiam Latini, quod intra Trojæ mœnia fuerit HELENA, indeq; repetita ſit urbe captâ.

Utra igitur ſententia veriſimilior ſit, quanquam non magni noſtra intereſt, tamen exercitij & ingenij cauſâ propoſitum eſt rationibus diſceptare. Et ego quidem cum Herodoto & Ægyptijs ſentiam &c.

CONFVTATIO SENTENTIÆ POETARVM.

Argumentum I.

Obſcurum.

1. Tempora ſunt antiqua, finguntur antiquiora: Itaq; impunè ſe admentiti aliquid poſſe exiſtimarunt Poëtæ. Unde ſemper Poſteriores aliquid adiecerunt Superioribus ignotum. Ut: Virgilio HELENA etiam nupſit DEIPHOBO 6. Aneid. Fratri Paridis: Pene interfecta fuiſſet ab Ænea 3. Æneid.

2. Non addunt Occaſionem Tempus & reliqua: Non enim videtur paſſurus PRIAMUS, niſi arte aliquâ perſuaſiſſet PARIS.

Argumentum II.

Impoſſibile.

I. Ex naturali pudore: Non potuit vel PARIS vel HELENA non metuere aspectum PRIAMI & HECTORIS, HECUBÆ & reliquæ familiæ.

2. Ex faciliori: PROTEVS Ægyptius non passus est hoc scelus in PARIDE peregrino, quomodo potuisset pati PRIAMVS pater, & frater HECTOR, & quidem tanta calamitate afflicti?

Argumentum III.

Inconsequens.

1. PRIAMVS celebratur prudens & probus: Noverat jtaq; hoc factũ sceleratissimum; videbat imminentem imperij ruinam; filiorum tam plurimorum atq; optimorum sentiebat internecionem. Quæ obstinatio fuisset non curare, ut redderetur HELENA?

2. HECTOR successor regni futurus, cur tam indigna pateretur, & populus hujus propter amores turpissimos fratris?

3. PARIS bubulcus & amator nullius authoritatis inter suos.

4. HELENA pertæsa jam amoris istius, audiens quotidiana sibi ab omnibus dici convicia.

5. Non convenit Locus, Tempus &c.

PERORATIO.

1. Fiat Repetitio argumentorum.

2. Moveatur misericordia erga PRIAMVM & TROIANOS, qui ob unius Adolescentis imprudentiam tantam Græcorum crudelitatem experti sunt.

VI.
DEFENSIO POETARUM.

EXORDIVM.

1. à laudibus Poëtarum.

2. à defensione Poëtarum: Dicuntur multa mentiri: Non mentiuntur, plebis imperitia jtà accusantur: Fabulæ enim non sunt mendacia. Aliud est fingere, aliud mentiri. Etiam Pictores fingere dicuntur, nec tamen mentiuntur. Mendacium autem est, si quis præ animi malitia fingat ac componat sermones quibus alios injustè fallat. Jtaq; & animum malum esse oportet, & fallendi propositum adesse & quidem innocentes, vel his nocendi potius. In Fabulis autem Poëtarum Ars quædam & ingenium cernitur imitandi qualis in pictura, eaq; sacra atq; innocens, absq; fuco & mali-

malitiâ. Finis docere optima quæq; prudentiæ politicæ præcepta: His admiscent delectationem, & picturâ istâ, quasi variarum circumstantiarum tanquam παρέργων, opus commendant.

3. Summa: Iniquè mihi videntur accusati Poëtæ de HELENA: Quod demonstrabo. 4. Rogetur benevolentia.

Argumentum I.
à Verisimili.

1. Tot Poëtæ hoc affirmant.
2. Omnes hactenus senserunt Historici, Docti, Vulgus.

Argumentum II.
À Non-Verisimili.

Adversariorum sententia inaudita: Nunquam enim auditum, dubitari, an HELENA abducta sit à PARIDE, habita decennio amplius, usq; ad Trojæ excidium.

Ad Instantiam. Herodotus scripsit.

1. Non ex sua sententia, nisi dubitanter.
2. Ex ÆGYPTIIS audierat, qui potuerunt ista in laudem Regis sui finxisse. 3. Multa scripsit Herodotus quæ dubiæ fidei sunt.

Argumentum III.
Ab Jmpossibili.

Fieri non potuit,

1. Ut lateret HELENÆ absentia Græcos.
2. Ut non significassent Trojani.
3. Ut non audierit expeditionem PROTEVS, & litem diremerit,

Argumentum IV.
ab Indecoro.

Quantæ hoc esset imprudentiæ in Græcis sic temerè toto decennio abesse domo: quanta crudelitas in Ducibus, sic temerè evertere alienam urbem; cives suos ab agro patrio colendo abstinere; ante Trojam annis atq; armis absumere &c.

SOLVTIONES ARGVMENTORVM
ADVERSARII.

Ad Argumentum I.

Tempora sunt antiqua) Ea sanè est calamitas, ut veritas rerum tem-

porum antiquitate, quemadmodum muri hederâ, ita falsis narrationibus obseratur. Sed ea potiùs deflenda est, quàm ut in ejus communitatem omnes antiquæ narrationes sint pertrahendæ: Si enim omnis antiqua narratio deberet in suspicionem falsitatis vocari &c.

Poëtæ) Quando describunt historias, saltem circumstantias leviores affingunt.

Ad Argumentum II.

Ex naturali pudore) At domo aufugere sustinuerat HELENA, & PARIS hanc abripere: Item Trojam versus proficisci: Neq; videbatur hominibus nequam magnum facinus.

Proteus) Hoc dubium est.

Ad Argumentum III.

Priamus, Hector &c.) Solutionem habes in Herodoto: Disposuit Deus, ut homines agnoscerent, ὅτι μεγάλων ἀδικημάτων μεγάλαι εἰσὶ αἱ τιμωρίαι. Reliqua ipse solve.

PERORATIO. Fiat

1. Repetitio præcipuorum probationis capitum.
2. Querela de hominum in scelere obstinatorum cæcitate, ut non corrigantur ullius mali metu aut sensu, ut PRIAMUS, TROIANI, PARIS, HELENA.

VII.
AN VERA SINT QVÆ DE DIDONE & ÆNEA narrat Virgilius.

EXORDIUM.

1. Dicantur laudes Virgilij: imprimis à Judicio accuratissimo; tum diligentiâ summâ in poliendis Poëmatibus suis, quæ in annos multos domi premebat, ut posset tutius refingere ex Horatij consilio, in arte Poëtica.
2. Summa dicendorum: Sed nullius tanta prudentia unquam reperta est, quæ non alicubi desiderata sit aut defecerit, &c: Ita multi in Virgilio hoc accusant, quòd ÆNEAM finxerit habitasse apud DIDONEM familiariter, atq; usum esse eâ pro conjuge. Quàm verè, id nunc examinabitur: Et quidem meæ partes erunt Poëtam defendere.
3. Conquëraris datas tibi primas dicendi partes: culpa conijciatur in sortium iniquitatem. Ad imitationem Exordij pro Quintio.
4. Petatur benevolentia.

Argumentum I. Verisimile.

1. Omnes ita senserunt hactenus docti.
2. Vulgus cantat, narrat, pingit & sculpit.
3. Frischlinus convertit in Tragœdiam.

Argumentum II. Consequens.

Conveniunt omnia,

1. Personæ: ÆNEAS pius quidem sed Ethnicus; Preterea viduus & exul; & à Didone illectus non ad libidinem sed conjugium &c. DIDO castissima quidem, sed varium & mutabile semper fæmina; metuens à Fratre, sed non satis habens munitam Remp: ædificans: Orba liberis.

2. Res gesta: Conjugium est, non insana libido: 4. Æn. Conjugium vocat. Vel etiam si sit libido & spurcities, nihil alienum est à moribus istorum seculorum: Quid enim vulgariùs istis temporibus quàm principum non tantùm scortationes sed adulteria? Quot stupris HERCULES, THESEUS, & cæteri Heroes scilicet sunt celebres &c.

3. Locus: Navigaturis enim ex Asia in Italiam Tyrus prætemaviganda est. Hancque jam superarat ÆNEAS, & appulerat in Siciliam Italiæ vicinam. Hinc autem vi tempestatis potuit repelli in Phœniciam.

4. Tempus. Quanquam enim certi nihil constat de Tyri ædificatione & DIDONIS exilio, cum etiamnum digladientur Chronologi: tamen salvum est ex ista incertitudine, & dum isti ita litigant, nihil ex temporis diversitate contra hujus rei gestæ veritatem allegari poterit.

5. Modus: Appulsus est; detentus mira pulchritudine; DIDO petijt conjugium &c.

6. Causa, DIDO hoc consilij agitabat; sic munire se posse suam civitatem; præterea victa est cupiditatis vehementiâ. ÆNEAS, pertæsus molestiarum maris, voluit sic se & socios reficere; Vel, si unquam fieri possit, populum suum facere cives novæ istius civitatis. Quid poterat commodiùs accidere? præterea potiebatur pulcherrima conjuge & castissimâ &c.

7. Facti partes cohærent: Quòd enim postea reliquit, fuit monitus forte quibusdam oraculis: Habuerunt enim hæc Ethnici, & quæ maximè reverebantur.

PERORATIO.

1. Fiat Repetitio præcipuorum capitum.
2. Moveatur invidia obtrectatoribus Poëtarum.

QUOD

VIII.

QUOD FALSA SINT, QVÆ DE ÆNEA &DIDONE narrat Virgilius.

EXORDIVM.

1. Vituperantur Poëtæ, quod multa fingant ineptè, imò etiam turpiter: ut quæ de Dijs suis. Jtem si quædam in gratiam Principum fingunt, in his plærumq; excedunt modum, faciunt contra officium Poëtarum.

2. Virgilius vituperatur: Fuit castissimus Poëta, ut passim celebratur, non in sermonis tantum elegantiâ, culturâ, & verbis pudicis, sed etiam morum innocentia: unde Virgo vulgò dictus. Sed in eâ fictione de DIDONE & ÆNEA videtur nimium adulatus genti suæ Romanis, & majorem habere debuisse DIDONIS rationem, quam odij erga Pœnos. Quo factum, ut his ignominiam aliquam affricando nec suæ gentis Authori primo, ut creditur, ÆNEÆ dico, imprudentiâ quâdam pepercerit.

3. Summa. Et quanquam, qui ante me dixit, Virgilium defendere conatus est: tamen leviores sunt istæ rationes, quàm ut ullam verisimilitudinem conciliare possint tam perspicuæ falsitatis figmento. QUOD demonstrabo, si prius respondero ad quædam Adversarij fundamenta.

4. Petatur benevolentia.

Solutio Argumenti I.

Omnes senserunt.) At nemo sensit: Nemo Historicorum meminit vel verbo. Producantur Historici: Dissenserunt Poëtæ. Vide carmen Ausonij: Illa ego sum vultu &c. Scaligeri in Heroinis: Macrobrius lib. 5. Saturn. cap. 17. —Vulgus cantat) ut alias fabulas.

3. Frischlinus convertit) Non tamen dixit, rem gestam esse; secutus est Virgilij non tantum figmentum, sed verba etiam.

Solutio Argumenti II.

Conveniunt omnia.) Si convenirent, non tamen deberet temere tantum fingi crimen in tam illustres personas. ET non convenire, mox demonstrabo.

Argumentum I. ab Inconsequenti. CONFUTATIO.

Non conveniunt.

1. Personæ, 1. ÆNEAS pius; quamvis Ethnicus. Exul, eo continentior; Passus domi tantam cladem; viderat eversam Trojam propter adulterium. 2. DIDO celebratissima propter castitatem: Et si fuisset passa aliquid muliebris animi, ÆNEAS certè pepercisset.

2. Res gesta: Adulterium, quod non dissimulat Poëta: Conjugium vocat hoc prætexit nomine culpam 4. Æn. Ib. Nunc Hyemem inter se luxu &c. Ib. Audijt omnipotens &c.

De Heroibus) At de Ænea, nihil tale unquam auditum.

3. Locus: Esto appelli potuit, At non statim appulsus est: Sit etiam appulsus, fuerit apud DIDONEM, non tamen propterea pudorem hujus violavit.

4. Tempus planè discrepans: Vixit DIDO à Trojâ captâ annis 143. in quo omnes consentiunt Chronologi. Hoc nunc exagita: Dic fortassis hoc accidisse argenteo isto seculo, de quo Virgilius vaticinatus est, 4. Eccl. Atq; iterum ad Trojam &c.

Ad 5. 6. 7. dic, non sufficere; fingere ista facile esse,

Argumentum II. Ab Indecoro.

PERORATIO.

1. Fiat Repetitio. 2. Moveatur misericordia erga DIDONEM.

Exemplum Comparationis.

Si quisquam est Auditores in quo collaudando operæ pretiu fi[...] possit; aut si honestæ sunt eæ laudes, quæ viris optimè de human[...] genere meritis tribuuntur; vel deniq; si gravissimus eloquentiæ us[...] vertè in hominum piissimorum commendationem admovetur: nullam ma[...] gis tempestivam orationem fore arbitror, quam eam quæ de illustri[...]bus Dei organis Ecclesiæ doctoribus dico, suscipiatur. Nam cum ib[...] non verus tantum, sed splendidissimus eloquentiæ usus sit, ut quo quisq; melius de humana societate meritus sit, eò crebrioribus encomiis prædicetur, quæ poterit esse honestiori ratione suscepta commendatio, quam quæ de iis viris suscipiatur, qui non humanis aliquibus, sed planè divinis beneficiis, non unam aliquam gentem sed universum terrarum orbem affecerunt. Quæ ratio me permo[...]vit, ut de laudibus maximè insignium virorum N. et N. aliquid meditarer. Non quod ego parem me esse, aut eruditionem, ad tantam argumenti dignitatem afferre posse sperarem, aut

harum


ob

po-

s

a.

egeas




Biblioteka Jagiellońska
stdr0013321

